MEMORIAM ANNIVERSARIAM

DEDICATAE

ANTE HOS CCLXXXXII ANNOS

SCHOLAE REGIAE AFRANAE

EXTRA ORDINEM D. XXIIII. SEPT. CIↃIↃCCCXXXV

LOCO CONSUETO HORA X.

PIE CELEBRANDAM

INDICIT

DETLAUS CAROLUS GUILIELMUS BAUMGARTEN-CRUSIUS,

ILLUSTRIS AFRANEI RECTOR ET PROFESSOR I., SOC. LAT. IENENS. ET. HISTORICO-THEOLOG. LIPS. SODALIS.

De Psyche, fabula Platonica.

MISENAE,

EX OFFICINA MAURITII CHRISTIANI KLINKICHTII.

Οὗτος ὁ μῦθος ἐσώθη καὶ οὐκ ἀπώλετο, καὶ ἡμᾶς ἂν σώσειεν· ἂν πειθώμεθα αὐτῷ, καὶ τὸν τῆς Λήθης ποταμὸν εὖ διαβησόμεθα καὶ τὴν ψυχὴν οὐ μιανθησόμεθα, ἀλλὰ νομίζοντες ἀθάνατον τὴν ψυχὴν καὶ δυνατὴν πάντα μὲν κακὰ ἀνέχεσθαι, πάντα δὲ ἀγαθά, τῆς ἄνω ὁδοῦ ἀεὶ ἑξόμεθα καὶ δικαιοσύνην μετὰ φρονήσεως παντὶ τρόπῳ ἐπιτηδεύσομεν, ἵνα καὶ ἡμῖν αὐτοῖς φίλοι ὦμεν καὶ τοῖς θεοῖς, αὐτοῦ τε μένοντες ἐνθάδε, καὶ ἐπειδὰν τὰ ἆθλα αὐτῆς κομιζώμεθα.

Plato de Rep. X. extr.

Lepidissima est fabula de Psyche et Cupidine, quam Appulejus Metamorphoseon libris IV. V. et VI. more suo*) omnibus orationis munditiis exornatam pertexuit. Summam fabulae paucis reddimus. Regi alicui tres erant filiae, duae, quae humanam pulcritudinem non superarent, tertia, cui Psyche nomen, tam venusta, ut a multis pro nova Venere haberetur, omniumque animos et cultum ab ipsa Venere averteret. Quam injuriam indignata Venus Cupidinem filium ad vindicias numinis sui vocat, quo auctore Psyche, quamquam eadem qua antea admiratione hominum celebratur, sororibus regias nuptias dudum adeptis, nullius proci amore expetitur. Parentes tristi puellae sorte misere

---

*) v. Ruhnken. praefat. ad Appul. ed. Oudendorp. p. I—V. Sed nimis severum est judicium *Elsteri* (de fabula Cupidinis et Psyches. Helmstad. 1829.) p. II. sequ. Fabulam ipsa simplicitate venustam ab illo misere corruptam et inquinatam esse, infra videbimus, sed eidem servatam debemus; formam narrationis, ubi de re quaeritur, non de sermonis elegantia, non moramur. Placuit haec ratio scriptori, placuit aequalibus, et nostris talia non displicere, ostendunt multi libri maximo Gallorum Germanorumque plausu excepti. cf. quae de Frontone, simili verborum artifice, post Niebuhrium judicavit Bernhardy (Grundriss der Röm. Literatur) p. 131, 292, 304.

afflicti parent tandem oraculo, quo vivam solemnibus exequiis in desertum scopulum deducere solamque in summo ejus vertice relinquere jubentur; promiserat enim Deus, ibi nuptias eam inventuram, sed non humani generis, sed alicujus numinis, quod Diis hominibusque atrociter imperaret. At comitibus ab extremo honore domum reversis, Psyche molli Zephyri afflatu per devexos rupis scopulos in abditam vallem defertur, omnibus naturae artisque ornamentis ita jucundam, ut illud alicujus Dei deversorium esse appareret. Lucum ibi videt et fontem et domum regiam summo splendore exaedificatam, quae omnia dum miratur, incerta voce his uti pro suis jubetur, et obsecuta balneo, mox lautissimis epulis reficitur, nullo serviente, solis vocibus famularum loco ministrantibus. Mox cum incognito marito nuptiis conjuncta in illo secessu diutinum tempus felicissime transigit. Interea sorores percepto aliquo rumore de mira vicissitudine sortis, quam Psyche experta esset, percontatae scopulum locumque, quo illa deserta fuerat, adveniunt eamque pro mortua plangunt. Illa, impetrata hac venia a marito quamvis invito, Zephyri ministerio deferendas eas in secessum suum curat, admirabundas lautissimo hospitio excipit, tandem magnificis donis oneratas dimittit. Sed illae insanis invidiae furoribus actae composita antea fraude brevi tempore revertuntur, et identidem veniunt, eique quamvis gravissime admonitae a marito, ne de se quicquam vel audiret vel responderet neque de forma sua quaereret, neque quae sancto silentio secreta essent profanaret, persuadent, ut illum, quem pro conjuge haberet, ipsae noxium serpentem esse satis comperissent, nocturno somno sopitum novacula ad id facinus comparata trucidaret. Psyche opportuno tempore parat caedem, sed admota lucerna non atrocem bestiam, qualem sorores descripserant, sed Cupidinem videt, formosissimum deum, quo aspectu deterrita et impos animi ferrum manu dimittit; videt arma, arcum et pharetram et sagittas, quarum unam dum digito probat, vulnerata eo tactu intimi amoris ignes concipit. Sed exosculata dormientem ex lucerna ferventis olei guttam super dexterum Dei humerum effundit, qua re ille expergefactus, cognita infelicissimae uxoris perfidia, statim ex manibus oculisque ejus tacitus avolat. Illa fugientis cruri inhaerens eodem volatu effertur, mox delapsa ultima verba in altum se proripientis audit, quibus fugam suam illi poenam admissae culpae futuram esse denunciat. Psyche, finem vitae imponere frustra conata, ad unam sororum abit, quae certior facta de illius casu statim ad scopulum illum properat et praecipiti saltu absconditam Dei sedem ejusque nuptias petens, negante Ze-

phyro ministerium, illisa cautibus misere perit. Idem alteri sorori consilium, idem exitium. Cupido ad matrem reversus morbo ex aegritudine contracto et severa custodia tenetur. At Psyche, quum Cereris prius, deinde Junonis templa frustra adiisset, Veneris et iras et verecundiam excusantium, tandem in ipsas Veneris, quae errantem quaerendi et ad se deducendi negotium Mercurio dederat, manus se dedere constituit, sed in ipso vestibulo a Consuetudine, famula Veneris, atrocissime excepta mox a Dea Sollicitudini et Tristitiae tormentis excrucianda traditur, tum tribus diversis exquisitisque laboribus vexatur, quibus tamen benevolo ministrorum Cupidini sic gratificantium interventu mirum in modum liberatur. Ultimus hic erat, ut in Orcum descenderet et pyxide a Venere data a Proserpina particulam venustatis expeteret et ad Deam referret. Sed hoc etiam periculum benigno alicujus numinis admonitu feliciter superarat, evitatisque et irritamentis, quae ab instituto itinere eam avocabant, et monstrorum viam obsidentium terriculamentis ad lucem redierat, quum partem venustatis delibatura temeraria curiositate pyxidem aperit, et Stygio vapore ex ea evolante perfusa collabitur. Tum Cupido forte elapsus ex custodia jacentem offendit, amotoque, quo vincta erat, letali somno levi puncto sagittae suscitat. Inde ad Jovem pergit, qui exoratus ejus precibus Psychen immortalitate beat et mitigata ira Veneris perpetuis nuptiis cum Cupidine conjungit.

Haec fabula omni aetate ita placuit laetioris ingenii hominibus,*) ut alii artificiorum monumentis singulas ejus partes exprimerent, alii, inter eos Galli maxime et Itali, tanquam per manus traditam suis narrationibus insererent et novis commentis adornarent, alii denique subtiliore diligentia et de origine ejus primoque fonte, et de sensu sub illis involucris recondito quaererent, detractisque vestibus et velis nudam venusti corporis naturam aperire conarentur. Inter hos maxime nos adverterunt, qui *Platonicam* eam fabulam esse dicerent, non quod, ut ab Appulejo descriptam legimus, a Platone profectam existimaremus; sed ut cognosceretur, quae semina lepidissimi commenti Pla-

*) Poetas recentiores, qui hoc argumentum tractaverunt, recensuit Elsterus sub calcem libelli supra laudati. Inter Germanos principes sunt *Wielandius* (Sämmtl. Werke tom III), et Ern. *Schulzius* (Psyche, Lips. 1824), inter Britannos Thom. *Moor*, inter Francogallos *La Fontaine*, inter Italos *Marini*. Artificum opera qui recensuerunt et descripserunt, infra memorabimus.

tonis libri Platonico recentioris aetatis viro dedissent, et quos progressus illa per longi temporis incrementa et vices ex diversis hominum et aetatum ingeniis moribusque fecisset. Praeterea compertum nobis erat, proximis annis plures viros et judicii subtilitate et eruditionis copia eximios in eadem quaestione fuisse occupatos, quos quum pro studiorum, quibus trahebantur, diversitate admodum discrepantibus opinionibus inter se dissidere videremus, alia via progrediendum putavimus, ut enumeratis interpretum sententiis quaereremus, quid in illa fabula Platonicum, quid Platonicorum inventioni tribuendum, denique quid ea aetate affictum esset, quae festivis magis narrationis lenociniis quam nudae sapientiae integritate delectaretur.

Ex Appulejo eandem fabulam primus repetiit *Fulgentius*, sexti seculi scriptor, Mytholog. II, 6.*), eamque ita interpretatus est, ut regem et reginam, parentes Psyches, deum et materiam esse dicat, tres filias carnem et libertatem et animam, ψυχήν, hanc ideo pulcriorem, *quod et a libertate superior et a carne nobilior sit;* ei invidere Venerem h. e. libidinem et ad eam petendam mittere Cupidinem; sed quia cupiditas sit boni et mali, diligi animam a cupiditate et conjunctione misceri, sed prohiberi, ne faciem suam videat, id est cupiditatis delectamenta discat. Mittimus reliqua, quae ejusdem farinae sunt, eaque adeo obscura, ut ipsum scriptorem continuare interpreta-

*) Fulgentius l. c. commemorato Appulejo: *et Aristophontes Athenaeus in libris, qui Dysarestia nuncupantur, hanc fabulam enormi verborum circuitu discere cupientibus prodidit.* De auctoribus fabulae ante Fulgentium, *Lucio Patrensi*, nam falso Lucianum iis annumerant, et *Aristophonte* v. Solan. et Lehmann. ad Luciani Asinum, ed. Lehmann. Vol. VI. p. 503. sequ., *Mansonem* (*Versuche über einige Gegenstände aus der Mythologie der Griechen und Römer*, Leipz. 1794.) p. 346., *Thorlacium* (*Disquisit. mythol. fabulae de Psyche et Cupidine.* Havn. 1801.) p. 10. sequ., *Elsterum* l. c. p. 3. sequ., *Hirtium* (*Ueber die Fabel des Amor und der Psyche nach Denkmälern.* Abhandl. der historisch-philolog. Klasse der Kön. Preufs. Akademie der Wissensch. aus den Jahren 1812—13. Berlin 1816.) p. 1. Ab hoc *Aristophantes*, ab aliis *Aristophontes*, ab aliis *Aristophon* Fulgentii auctor dicitur. Hirtium *Ἱεροφάντα* seduxisse videntur, reliquos *Ἑρμείας ἀργειφόντης*. Verum nomen fuit *Ἀριστοφῶν*, de homine nihil compertum est. Quod *Athenaeus* dicitur, id novo errore factum Fulgentii vel alicujus scriptoris, quem ille sequeretur, confundentis *Ἀθηναῖον* et *Ἀθήναιον*, ut alterum nomen homini Graeco adderetur. Nos *Atheniensem*, *Ἀθηναῖον*, fuisse grammaticum existimamus.

tionem et ad finem perducere poenituerit*). Itaque circumspiciendum, quid prudentiores viri de illa judicaverint.

Bosscha in dissertatione *de scriptis Appuleji*, quam scriptoris editioni subjunxit. (Tom. III. p. 513), existimat, hac fabula illicitis Veneris commerciis, quibus ad omnem nequitiam rapi aequales suos videret Appulejus, opponere voluisse „*fidem conjugalem, quae, quamvis multa saepe inveniat impedimenta, tamen aliquando felicem experiatur eventum, Deorum favore compensetur, et homines ad immortalium Deorum beatitudinem evehat*," esse autem fabulam cum mysteriorum commendatione conjunctam. Ceterum delegavit studiosos Appuleji ad *Birgeri Thorlacii disquisitionem mythologicam fabulae de Psyche et Cupidine*, quo libello totam fabulam mythis moralibus accensendam et cum mysteriorum religione conjunctam uberius et erudite ex artis operibus illustratam cognoscere possint. Copiam nobis fecit hujus libelli jam rarioris insignis Celeb. Boettigeri liberalitas, ut ipsis cognoscere liceret, auctorem in recensendis artis monumentis laudabilem operam praestitisse, in explicanda antiquorum hominum sentiendi ratione, quod plerisque accidit, antiqua novis mire miscuisse. Omissis nunc, quae de origine fabulae et de monumentis illis, quibus illustratur, ibi disputata sunt, id modo commemoramus, eandem fuisse Thorlacii sententiam, ut existimaret, Appulejum post multa foedae libidinis pessimaeque licentiae exempla, quibus refertae sunt ejus Metamorphoses, *depingere voluisse impedimenta conjugali plerumque fidei objecta* (p. 23). Sed hoc ad consilium magis, quod Appulejus in enarranda fabula secutus fuerit, quam ad ipsam fabulae interpretationem pertinet. At ille p. 41 ita judicat: „*Habemus, ni fallor, hic perantiquum moralem mythum ex mysteriis desumtum, quo feminae initiatae symbolica et dramatica historiae nostrae repraesentatione admonebantur de innumeris, quae pulcritudinem obsident, periculis, de officiis feminae conjugi multas inter difficultates et discrimina exequendis, de innocentiae in sexu muliebri pretio, deque praemiis conjugali fidei castitatique, quae sibi semper constiterint, pro-*

---

*) Ita etiam *Langius* (*Ueber den Mythus von Amor und Psyche.* Verm. Schrift. p. 139.): „Doch ich breche ab, um Sie nicht mit einer Auslegung zu belästigen, die mir eben so geschmacklos als willkürlich vorkommt." Benignius de Fulgentii interpretatione judicavit *Creuzerus* (*Symb u. Mythol.* Tom III. p. 572.)

positis; et p. 47.„ *Symbolum fuit haec fabula tentatae, sed felici denique eventu compensatae conjugalis fidei.* Non absurda sunt, quae de triplici mythorum genere, *historico, philosophico, morali,* deinceps disseruit, maxime secutus ea, quae Herderus in Miscell. (Zerstreute Bl.) fasc. 2. de Nemesi, Heynius de origine fabularum Homericarum in Nov. Comment. Gotting. Tom. VII. p. 51 exposuerunt. Sed ea ut praetermittamus, eo maxime inducimur, quod illum bene compertis abusum, et quae ad amorem omnino pertinerent, ad conjugium retulisse cognovimus, in qua re praejudicata opinione adeo deceptus est, ut etiam dulcis animae appellationem uxoribus dari solitam et monumentorum sepulcralium inscriptiones et recentiorum artificum inventa ad antiquae de Psyche fabulae interpretationem traxerit. De reliquis, quae de mysteriorum initiatione, de multiplici mystarum exploratione, ea maxime, quae itinere ad inferos instituto efficeretur, deinde de Bacchicis orgiis, denique de sacrorum illorum depravatione, quae ex corruptis insequentium temporum moribus exstiterit, ita disseruit, ut fabulae tres aetates constitueret, primam, quae ad Veneris vel Amoris Thespiensia et Cnidia sacra propius pertineret, secundam, qua ad Bacchanalia transiisset, tertiam, qua obscoenis detestabilis licentiae religionibus inserviisset, proxime dicemus, quae ad rem nostram faciant. Nunc quidem hoc monuisse suffecerit, animi humani et sanctioris, qui ei ingenitus est, amoris significationem, priscis fabulae initiis iisque simulacris, quae simplicius eam referunt, satis proditam, vergente aetate et mutatis moribus et latius diffuso sculptoriae artis usu ad quodvis amoris, liciti illicitique, genus facile detorqueri potuisse. Eam ob causam prudentissime vetuit *Eckhelius**), in tanta diversitate artificum et consiliorum, quae sequi illi instituerint, unam omnibus eorum monumentis adhiberi interpretationem; dedisse se illos ad variandas, quae in fabella lateant, secretae disciplinae imagines, itaque admodum difficile esse, ubique verum sensum invenire complurium figurarum, quae in magno numero lapidum sculptorum inveniantur, Cupidinem et Psychen ostendentium. — In Addendis ad Appulejum (Tom. III. p. 587) idem Bosscha, ad quem jam revertimur, postea se comperisse dicit, extare libellum quendam Anglice scriptum (*The history of all Religions* sequ., *by John Bellamy,* Lond. 1813.), cujus auctor probare conatus sit, ut totam Graecorum

*) Choix de pierres gravées du Cabinet imperial des antiques, à Vienne. 1788.

Romanorumque mythologiam, ita et fabulam Psyches et Cupidinis ex sacris literis et originem habuisse et explicandam esse, ita ut Psyche communis generis humani mater Eva habenda, et quae de illa narrantur, ad historiam de hominum lapsu, quemadmodum ea in sacris literis traditur, referenda videantur, ipso Cupidinis nomine ex lingua Ebraica deducto. Certe non alienus ab hac opinione fuerat Fulgentius, qui Adami exemplo fabulam illustravit. Non prorsus imprudentes fuere illi interpretes, si animi humani inconstantiam et infirmitatem, erroribus ex cupiditate oriundis semper obnoxiam, quam omnes omnium aetatum homines agnoverunt et doluerunt, illis nominibus significatam voluerunt, sed mirum in modum a vero et ab ipsa specie veri descivérunt, quum eam narrationem, quae detracto multiplici ornatu, quem ex recentiore descriptione accepit, simplicissima est et Graecum colorem omnibus partibus ostendit, ex Ebraeo fonte illis auctoribus prorsus incognito repetendam opinati sunt. Curiosas enim esse mulieres, pravasque cupiditates ex quovis primo errore exortas nova usque in praesens et in futurum tempus et delicta et mala gignere, quis tandem mortalium non animadvertit, ut valde assimiles esse Orientalium et Graecorum fabulas, quibus causae et incrementa labis humanae describantur, nullo jure mireris.*)

Montefalconius (Antiqu. expl. Tom. I. p. 191.)**) quum allegorica hac fabula maxima mala et infinitos dolores, qui a cupiditate animo humano cre-

*) *Hirt* l. c. p. 13. „Das physische und moralische Uebel in der Welt war von jeher ein Stoff des Nachdenkens für die Weisen aller Völker. Der Geist suchte vergeblich einen Ausgang aus diesem Labyrinthe. Man nahm seine Zuflucht zu Hypothesen, denen man ein mythisches Gewand umwarf. Jedes Volk that diefs nach seiner Art. Wir kennen in dieser Rücksicht den Mythus des israelitischen Volkes, der aber ihm weder ausschliefslich, noch ursprünglich angehört zu haben scheint. Eine hieroglyphische Darstellung bei *Norden* (II. Tab. 58.) zeigt, dafs auch die Aegypter diesen Mythus hatten, von denen der israelitische Gesetzgeber wahrscheinlich ihn entlehnte. Hiernach wird schon ein Sündenfall oder ein böses Princip bei den Urgeistern angenommen, welche unablässig bemüht sind, dem höheren und guten Princip entgegen zu arbeiten. Solche sind es, welche das Menschengeschlecht, die Schöpfung des guten Princips, mit sich in den Fall verstrickten."

**) *Montfaucon* l. c. „Cette fable est toute allegorique et marque les grands maux et les peines infinies que la cupidité, figurée par Cupidon, cause à l'ame signifiée par Psyche. —

entur, significari dixit, partem veri intellexit, sed partem tantum; idem accidit commentatoribus Gallis Musei Aurelianensis, qui nihil aliud ea describi existimant, quam animi corporisque conjunctionem, vel potius imperium, quod cupiditates in animum, raro animus in cupiditates exerceat. Longe praestantius de hac re judicium fuit *Hirtii,* qui in Commentariis Academiae Berolinensis l. cit., postquam de mysteriis Cupidinis, de cultu Cupidinis Thespiensis, de duplici Venere et duplici Cupidine, vulgari altero, corporei amoris auctore, altero coelesti, omnium Deorum antiquissimo et virtutis felicitatisque humanae auspice, fuse exposuit, describi illa fabula existimavit animi humani conditionem et sortem; animum divinae originis, quamdiu corporis tanquam carcere contineatur, errori esse obnoxium, itaque multiplici exploratione et lustratione eum indigere, donec ad sublimiorem rerum cognitionem et verae voluptatis usum admittatur, nunc terrestri amore ad terrestria seduci, nunc coelesti ad aeternam divinae pulcritudinis speciem extolli, tandem victo turpi illo aemulo hanc divinas cum animo nuptias concelebrare. Quod autem idem Hirtius *) in pompa nuptiali, quam sexto anno post Berolini adornavit, Amoris coelestis consecrationem ita instituit, ut Junoni Pronubae (*Τελείᾳ, Ζυγίᾳ*), Cupidini et Psychae ab utriusque sexus sacerdotibus et sedecim patribus matribusque familiarum conjugali fide probatis sacrorum honores offerrentur, id non cum Langio, de cujus libro proxime diligentius dicam, mutata priori sententia eum fecisse existimaverim, sed ut artificum antiquae aetatis more abusus esse videatur, quos divinae illius conjunctionis imaginem saepissime ad humanarum nuptiarum solemnia et matrimonii sanctitatem concelebrandam accommodasse antea vidimus. Intellexit autem Hirtius, quod latuerat priores interpretes, ex limpidissimo sanctioris religionis fonte prima fabulae initia prodiisse, revocanda ad pias illas sententias, quas de animi humani natura divina et de

---

Le Cabinet du duc d'Orleans: Primitivement cette fable ne designoit autre chose que l'union de l'ame et du corps ou plutôt l'empire des passions sur l'ame et très-rarement celui de l'ame sur les passions."

*) *Die Weihe des Eros Uranios.* Eine Maskerade mit Tänzen etc. in libro inscripto: *Die Herodulen.* Herausg. von A. Hirt. Berlin 1818. — *Lange* Verm. Schr. p. 142. not. „*Hirt weicht aber hier von seiner eignen frühern Auslegung der Fabel ab.*"

vindiciis a terrestris vitae sordibus per sublimioris sapientiae adminicula ei parandis meliores priscae aetatis homines concepissent et divino ingenio fecundatas Plato postea ad illustrem institutionis materiam efformasset. Neque id fefellit *Mansonem*, qui in eo libro, quo plures Graecorum Romanorumque fabulas antiquas illustrare conatus est, *) Cupidinis et Psychae casus et discrimina Platonico more, demto imaginis involucro, animi humani imaginem referre dicit, malis aerumnisque purgati atque ita ad sincerae et integrae voluptatis usum praeparati.

His adjungimus sententias *Beckeri* **), *Zoegae* et *Welckeri* ***), qui ubi artificum monumenta interpretantur, quamquam in singulis partibus discrepant,

---

*) *Manso Versuche über einige Gegenstände aus der Mythol. der Gr. und R.* p. [illegible]. „Die Geschichte Amors und Psychens ist nichts anders, als eine Allegorie in Platos Geschmacke, — das Bild der menschlichen Seele, die durch Leiden und Unglück geläutert, und so auf den Genuſs reiner und ächter Freude vorbereitet und für selbigen empfänglich gemacht wird."

**) *Guil. Gottl. Becker Augusteum, Dresdens antike Denkmäler enthaltend*, cujus splendidissimi operis novam editionem filio auctoris, doctissimo collegae nostro, debemus. Enarrantur monumenta, quae Psychen et Cupidinem ostendunt, fascic. VI. novae edit. in commentario tabulis [illegible] adjunctis. Et de primo quidem (tab. 62.), in quo Veneris pedibus Cupido et Psyche assident, puerili aetate et forma, ille dextro brachio tenens puellam, haec oculis et sinistro brachio ad coelum conversis, ambigunt interpretes. Agnoscunt reconciliationem iratae adhuc Veneris, Cupidinis deprecatione Psychae paratam, sed jure mirantur, hanc aetatem precantibus ab artifice datam, quae fabulae, ut descriptam habemus, non conveniat. Beckerus Comment. p. 211. ita judicat: „Apulejus, welcher uns die Fabel zuerst erzählt, lebte unter den Antoninen; aber mehrere Darstellungen in Marmor und auf Gemmen zeigen offenbar eine ältere Kunstperiode an. Auch weiſs die Kunstgeschichte nichts von den Aeltern und Schwestern der Psyche. — Man sieht daraus, daſs die schönste Fabel der Griechen in ein abenteuerliches Mährchen verwandelt ist. Aller Wahrscheinlichkeit nach stammte sie, wie Buonarotti zuerst vermuthet hat, aus den Mysterien der Venus und des Amor her. Diejenigen, die in denselben eingeweiht waren, durften nicht davon reden, und hielten, wie sich bei mehrern ältern Schriftstellern bemerken läſst, sehr gewissenhaft darüber. In den spätern Zeiten, wo man diese Mysterien vielleicht zu sehr profanirt und den Zweck derselben aus den Augen verloren hatte, oder wo man wenigstens leichtsinniger darüber zu den-

***) *Georg. Zoega's Abhandlungen Herausg. und mit Zusätzen begleitet von Friedr. Gottl. Welcker.* Götting 1817. Agitur ab illo p. 79. sequ. de marmore Musei Pio-Clementini

uno tamen consensu ad Platonicam disciplinam originem fabulae et significationem referunt, sed ita, ut primordia altius repetentes tandem in mysteriorum

---

ken anfing, erlaubten sich die Schriftsteller zuweilen Anspielungen und Mittheilungen, die ihren Zeitgenossen freilich verständlicher waren, als sie es uns sind. Aus obigen Gründen kam vermuthlich die Fabel von Amor und Psyche sehr spät ins Publikum, und vielleicht verunstaltete sie Apul., wenn er selbst ein Eingeweihter war und sie nicht durch Verrath erfahren hatte, mit Absicht. Die Kunstwerke, die sie behandeln, mufsten übrigens zu seiner Zeit so häufig vorhanden seyn, dafs sich bei einiger Bekanntschaft mit andern Mysterien sehr leicht ein Mährchen daraus zusammensetzen liefs; und Apulejus war, wie wir wissen, in den Mysterien der Isis eingeweiht. — Psyche erscheint also darin zuerst in ihrer Reinheit und Unschuld; weil sie aber selbige verscherzt, mufs sie dafür leiden, bis sie endlich durch [illegible] Vergehen wieder gut zu machen, von neuem glücklich wird, und selbst noch höheres Glück erreicht." De interpretatione ex mysteriis petita, quae ad nostram aetatem ita obtinuit, ut ne dubitandi quidem locus relictus videretur, infra diligentius disseremus. Quod ad monumentum illud attinet, si peritioribus judiciis nostrum apponere licet, non iratam Venerem in eo agnoscimus, sed quae serio et gravi affectu commoveatur, ut coelestem Deam videas, non vulgaris cupiditatis matrem, eamque jam divinantem animo futuram sortem puerorum, qui nunc tenero amore conjuncti ad pedes ejus ludunt. Secutus est artifex fabulam, sed ut suo ingenio ei praeluderet. Successere postea artifices Christiani, qui assimili figura Joannem et Christum pueros ad Mariae pedes colludentes fecerunt. [illegible]tissimo simulacro, in quo Cupidinem et Psychen dulci amplexu conjunctos videmus, (August. tab. 64.) v. Becker p. 216 sequ., Hirt. l. c. p. 8. 11 f1.

in quo duo pueri alati papilionem lente igne cruciantes conspiciuntur. Quae ad nostram rem pertinent, verba haec sunt: „Eine ganz andere Schule, menschlicher gewifs wenn auch nicht tiefer, war die, welche geschaart um den Hierophanten der Akademie, in der heiligen Mundart der Dichtung den armen Sterblichen trostreiche Lehren austheilte, und was der Mensch leidet, was er geniefst und was er hofft in helldunkle Sinnbilder einhüllte, entlehnt von dem taglebenden unsterblichen Insekt, dessen Griechischer Ausdruck mit dem der menschlichen Seele gleichnamig zusammentrifft. Nichts ist bekannter, als die Dichtung von Psyche und Eros, nichts häufiger, als die daraus abstammenden Kunstdenkmäler, so wie wenige Mythen dem Herzen des Menschen sich mehr anschmiegen, und wie keine der Philosophien sich so sehr mit den Meinungen der Völker und mit den hieratischen Ueberlieferungen vermischt hat, als die, welche von Platon, dem Verächter des Volks und dem Verspotter der Mysterien, den Namen bekommen hat. Welcker. annot. p. 375. sequ. prolixe exposuit de lustratione face et igne facta, et de mysteriorum religione. Quum excerpere non liceat, quae apte disputata videntur, mysteriis non multum credamus, lectores ad librum ipsum ablegamus, maxime ad ea, quae inde a p. 383. leguntur.

antiquissima religione consistant. Horum vestigia legit *Creuzerus* in libris, quos de fabulis symbolisque antiquorum populorum scripsit, multiplici eruditione ita refertis, ut valde circumspectum lectorem exspectent. Is (Symbol. u. Mythol. P. III. p. 566 sequ.) hunc in modum fabulam interpretatus est. Graecos dicit ipsa nominis vocisque similitudine ductos animi et papilionis notiones una imagine comprehendisse, nempe sentientes, ut animalculum illud nocturno tempore lucem petat, sed in honestiore illo impetu saepe incendio consumatur, ut erucae forma prius, mox artioribus involucri vinculis coërceatur; tandem rupto cortice formosius alisque instructum evolet, ita animum relicto corporis torpore et inertia ad lucidas melioris domicilii sedes evehi; poetas aliosque viros sapientes hanc animi cupiditatem ex amore repetiisse, quo et excitetur et tanquam dulcioris libaminis modela mitigetur; artifices autem per omnes crescentis artis aetates usos illa imagine signis, gemmis, omni toreumatum genere Amoris et Psychae simulacra expressisse; itaque de antiquitate fabulae si vel maxime aliquis dubitare velit ipsa illa artis monumenta luculentissime testificari. *) Tum ad Samothracias Orphicasque origines more suo

*) Hesych. Ψυχή, πνεῦμα, καὶ ζωΰφιον πτηνόν, ubi laudant editores Aristotel. Hist. Animal. IV. 4. et V. 19., et Schol. Nicandr. Theriac. v. 760., qui φαλαίνας dicit vocari ψυχάς, φαλαίνας autem Rhodiorum voce τὰ περὶ τοῦ λύχνου (scil. τὸ λύχνον) πετόμενα θηρία. *De origine vocis* ψυχή v. Plat. Cratyl. p. 399. D. Quamvis enim ludat Plato in plerisque illis originationibus aequales, qui ejusmodi rerum nominumque simulacris insignem eruditionem aucuparentur, ita ut saepe pro argumenti diversitate ejusdem vocis etymologiam variaverit. (v. Stallbaum. ad Phaedr. p. 251. C. Lobeck. Aglaoph. T. II. p. 868. sequ.), multa tamen immiscuit serio dicta et ad accuratam linguae cognitionem valde utilia. Ita Cratyl. l. c. prius dicit: ὡς μὲν τοίνυν ἐκ τοῦ παραχρῆμα λέγειν, οἶμαί τι τοιοῦτον νοεῖν τοὺς τὴν ψυχὴν ὀνομάσαντας, ὡς τοῦτο ἄρα, ὅταν παρῇ τῷ σώματι, αἴτιόν ἐστι τοῦ ζῆν αὐτῷ, τὴν τοῦ ἀναπνεῖν δύναμιν παρέχον καὶ ἀναψῦχον, ἅμα δὲ ἐκλείποντος τοῦ ἀναψύχοντος τὸ σῶμα ἀπόλλυταί τε καὶ τελευτᾷ· ὅθεν δή μοι δοκοῦσιν αὐτὸ ψυχὴν καλέσαι, quae vera vocis originatio est; tum ludens subtiliores, quales Anaxagoras ejusque sectatores multis videbantur, etymologos aliam jocose addit: ἣ φύσιν ὀχεῖ καὶ ἔχει, quasi φυσέχην, unde ψυχήν. v. Stallbaum. ad h. l. — Miras antiquorum philosophorum sententias de natura et ortu animi et etymologias ad illas opiniones affictas recensuit Lobeck. Aglaopham. T. I. p. 758 sequ. — *De aliis Psychae datis* Thorlacius l. c. p. 31. ita scripsit: „Sed ut haberet ipsa Psyche, quo ab aliis feminis distingueretur, ars certiores, quas ei tribueret, notas anquisivit, alasque ei addidit ad animae imaginem, rarius aquilinas, plerumque papilio-

revertitur Creuzerus, quibus Veneris et Phaethontis *) conjunctio celebrata fuerit, tracta etiam in sacris nuptialibus ad humani conjugii initiationes, et comparatis Pythagoreorum sententiis principium sapientissimi commenti invenisse sibi videtur in Persarum Indorumque fontibus, quibus aeterna rerum numina modo dissociata, modo pace et amicitiae foedere reconciliata perhibeantur.

Postquam Hirtii et Creuzeri sententias commemoravimus, brevius exponere nobis licet de Langio, viro sanctissimae memoriae, quae et in Portensis Scholae alumnis et in magno amicorum numero immortalis vigebit. Hic fabulam Amoris et Psychae singulari dissertatione illustravit, rursus edita in librorum collectione, quam post mortem auctoris Jacobius collega ejus publicavit (Lips. 1832.). Sub narrationis illius velamine, quo cujusque amoris vicissitudines et discrimina describantur, arcanam aliquam disciplinam latere, et ipse existimavit, eamque cum iis, quos modo memoravimus, repetiit a mysteriis, *Τελεταῖς*, quibus multorum artificum opera dedicata fuerit, ut Thespiensibus sacris Cupidinis Praxitelem suam hujus Dei statuam consecrasse scimus. Multa autem indicia secretae alicujus religionis cum Beckero, Hirtio, Creuzero, aliis, existimavit reperiri in ternario numero per totam fabulam repetito, et in lustratione igne facta, cujus mentionem ab Appulejo omissam Hirtius etiam con-

---

nis, et in his deinceps acquievit", laudatis Mus. Florent. T. 1. tab. 79., Stosch. p. 150. m. 841., Lippert. Dactylioth. Mill. l. 837. p. 286. Omnino de alis Amori et animo humano tributis v. Vofs. mythol. Br. II, 4. p. 30., Stallbaum. ad Phaedr. Plat. p. 246 (c. 25. init.), Thorlac l. c. p. 26.; de papilionis alis, quibus Psyche ornatur, v. Hirt. l. c. p. 5., Winkelm. Opp. T. II. p. 557. et annot. p. 708. Becker Comment. ad August. p. 217 „Die Vorstellung der Seele oder Psyche unter dem Bilde eines Schmetterlings, sie mochte nun ein Sinnbild der Seelenwanderung oder der Unsterblichkeit bedeuten, war ein höchst glücklicher Gedanke und vielleicht früher vorhanden, als die Bildung derselben in weiblicher Jugendgestalt mit Schmetterlingsflügeln. Diese Allegorie bestand für sich selbst, und bleibt auch als solche für immer merkwürdig und zweckmäfsig." Lang. l. c. p. 137. „Wie glücklich war diefs Zusammentreffen für die Kunst, die so mit einem Mahle sich eines höchst anmuthigen, bedeutsamen und zugleich allgemein verständlichen Sinnbildes für einen Begriff und für ein Wesen erfreute, die so abstract, wie sie sind, sich sonst nur höchst mühsam und unvollkommen bezeichnen liefsen" sequ.

*) *Plin.* 36, 4, 7., ubi pro *Phaethontem* Hirtius l. c. p. 15. legi vult *Phaentem* v. infra.

queritur (l. c. p. 9. et 12.); quibus comparatis pericula et labores Psychae nihil aliud significare judicavit quam diversissima certamina et multiplices aerumnas, quibus animus humanus, sua culpa et immoderatae cupiditatis erroribus a divino auctore sejunctus, ad summae pulcritudinis desiderium revocetur et purgatus ad beatae tranquillitatis usum et aeternas Deorum sedes restituatur; neque alienus est Langius ab eorum sententia, qui eadem erroris et restitutionis, culpae et reconciliationis simulacra in Indorum fabulis invenerunt.

Audivimus hactenus aliorum sententias; restat ut nostram subjiciamus. Et de antiquitate fabulae, quae ad philosophiae et artis humanae primordia ascendat, nemo facile dubitaverit, qui monumenta illa, ab Hirtio l. c. continua serie proposita, accuratius inspexerit. Ea enim artificii genus ostendere, longe antiquius ea aetate, qua Appulejus scripserit, judicat prudentissimus ille harum rerum cognitor, *) et ipsa fabulae descriptione saepe ab hujus scriptoris nar-

---

*) Statuas et imagines diversi generis, quae ad Psychae fabulam pertinent, et libros, in quibus descriptas invenire licet, recensuit *Hirt.* l. c. p. 2. not. Seriem imaginum delineatam ipse reddidit ad p. 8. cf. *Manson.* l. c. p. 347. not., *Creuzer.* Symb. T. III. p. 571. et tabulas huic libro adjunctas, *Thorlac.* l. c. p. 28. *Böttiger.* Sabin. T. I. p. 310. et T. II. p. 198., *Otfr. Mueller.* Handb. der Archaeologie der Kunst edit. 2. p. 591. sequ. De artificibus recentioris aetatis, qui idem argumentum tractarunt, v. *Jacob.* annot. ad *Langii* l. c. p. 138. — De monumentorum antiquitate valde incertum quidem esse judicium, confitetur *Thorlacius* p. 25., sed recte monet, habere tamen artem certa vestigia, quae sedulos ejusmodi operum investigatores non fugiant. *Creuzer* l. c. „Auch die Kunstwerke in den ältesten Tempeln Griechenlands geben uns hinreichende Kunde dieses ganzen allegorischen Bilderkreises von Amor und Psyche; und diese Denkmäler beweisen allein schon, wenn ja darüber Zweifel statt finden könnte, dafs diese Allegorie viel älter als Appulejus ist. Um sich davon einen Begriff zu machen, darf man nur die Griechische Anthologie lesen, man darf nur die Sammlungen von Kunstwerken, besonders das Gebiet der so zahlreichen und herrlichen Gemmen durchgehen.“ cf. *Hirt* p. 8. et 9., *Lang.* p. 139., *Becker.* August. ad tab. 62 — 65. *Otfr. Mueller* l. c. „Der Fabel von Eros und Psyche liegt deutlich die Orphische Idee zum Grunde, dafs der Körper ein Karker der Seele, dafs die Seele hier auf Erden in der Erinnerung an ein glückseeliges Zusammenseyn mit Eros in frühern Aeonen, aber verstossen von ihm und voll fruchtloser Sehnsucht ihr Leben hinbringt, bis der Tod sie wieder vereinigt.“ His iudicem subjecit monumentorum artis, quae Romanae artis sculptoriae aetati tribuit. De simulacris, quae Cupidinem et Psychen amplexu junctos ostendunt, v. *Fernow.* ad *Winkelmann.* librum de allegoria (Opp. Winkelm. tom II. p. 744 sequ.

ratione valde differre; in eo uno convenire imaginum monumentis cum Appulejo, quod in utrisque Psyche aliqua ira Cupidinis Venerisque exagitata multisque exinde laboribus et aerumnis exposita, tum reconciliata filio et matri et ad nuptias et dulcissimos amplexus admissa conspiciatur. Idem eas statuas, quibus dolor virginis illius, cujus tergo papilionis alas artifex apposuit, potentius aliquod numen refugientis versoque capite coelum suspicientis ostenditur, cujus generis tres hodieque servantur, ipso artificio paene assimiles esse docet laudatissimis Niobae ejusque filiarum simulacris cultissimae aetatis, quae Scopam et Praxitelem tulit, et hos ipsos artifices agnoscit in eo signo, quo nuptiali osculo et amplexu Amor et Psyche conjuncti videntur. Denique comparari jubet simulacra Cupidinis Thespiensia a Praxitele et Lysippo confecta, et Samothracia Veneris et Desiderii (*Πόθου*) et Phaethontis, quae Scopae artificio consecrata perhibentur.*)

Cultum Dei Cupidinis antiquissimum fuisse apud Thespienses et apud Parianos, accolas Hellesponti, Ionum colonos, sed ignorari auctorem, multa etiam et diversa de origine hujus numinis a veteribus poetis, Oleno, Pampho, Orpheo usque ad Hesiodum et Sappho prodita fuisse, Pausanias perhibet IX,

---

*) *Plin.* XXXVI, 4. sect. 7. *Scopae laus cum his certat. Is fecit Venerem et Pothon et Phaethontem, qui Samothrace sanctissimis cerimoniis coluntur.* Pro v. *Phaethontem* Hirtius legi jussit *Phanetem*, cui conjecturae melius pepercisset. De *Phanete*, mysticorum doctrina multum celebrato, doctius exposuerunt *Voss.* Mythol. Br. II, 29. et *Lobeck.* Aglaoph. l. II. §. 5, p. 491. sequ. *Sillig.* Catal. Artif. p. 411. molesta verba *et Phaethontem* auctore codice Reg. 1. omisit. — Idem *Plinius* de Praxitele sect. 5. *Ejusdem est et Cupido, objectus a Cicerone Verri, ille propter quem Thespiae visebantur, nunc in Octaviae scholis positus.* — De Thespiensium Cupidine cf. *Pausan.* IX. 27, 3. *Θεσπιεῦσι δὲ ὕστερον χαλκοῦν εἰργάσατο Ἔρωτα Λύσιππος. καὶ ἔτι πρότερον τούτου Πραξιτέλης λίθου τοῦ Πεντελησίου. — πρῶτον δὲ τὸ ἄγαλμα κινῆσαι τοῦ Ἔρωτος λέγουσι Γάϊον δυναστεύσαντα ἐν Ῥώμῃ, Κλαυδίου δὲ ὀπίσω Θεσπιεῦσιν ἀποπέμψαντος, Νέρωνα αὖθις δεύτερα ἀνάσπαστον ποιῆσαι· καὶ τὸν μὲν φλὸξ αὐτόθι διέφθειρε. — τὸν δὲ ἐφ' ἡμῶν Ἔρωτα ἐν Θεσπιαῖς ἐποίησεν Ἀθηναῖος Μηνόδωρος, τὸ ἔργον τοῦ Πραξιτέλους μιμούμενος.* De hoc loco multarum contentionum auctore vide, quae post *Lessingium* (Opp. Tom. X. p. 259.) monuerunt editores operum Winkelmanni in annot. ad Histor. art. ant. Tom. VI. p. 304. not. 1152. et in indice scriptorum sub v. *Pausanias.* Tom. VIII. p. 590., et *Siebelis* ad Pausan l. c., denique *Sillig.* in Amalthea. Vol. III. p. 299. sequ. et in Catal. Artif. p. 385.

27. *) Sed unde eam religionem acceperint Graeci, cur cum animae humanae simulacris eam conjunxerint, quam sententiam secuti hanc Psychen per omnes vitae casus ad felicem exitum carminum, fabularum, artium monumentis deduxerint, id maxime quaeritur. Iam ad Persas et Indos, et, si Diis placet, etiam ad ultimos Seres ablegamur, a quibus omnis sapientiae initia repetere nostra aetas didicit, multum diversa ab antiqua, quae barbarorum instituta et cerimonias ferocius aversari solebat. At nos quidem, quamquam credere non sustinemus, Graecos quasi sejunctos a reliquo orbe terrarum suoque felicissimo quidem, sed humano ingenio relictos et solos naturae alienorum exemplorum imitatricis tanquam exsortes nihil exteris debuisse, omnia ipsos excogitasse et ad perfectissimam cujusque generis artem efformasse, cautiores tamen in admit-

*) Pausan. IX, 27. Θεῶν δὲ οἱ Θεσπιεῖς τιμῶσιν Ἔρωτα μάλιστα ἐξ ἀρχῆς, καί σφισιν ἄγαλμα παλαιότατόν ἐστιν ἀργὸς λίθος. ὅστις δὲ ὁ καταστησάμενος Θεσπιεῦσιν Ἔρωτα θεῶν σέβεσθαι μάλιστα, οὐκ οἶδα. σέβονται δὲ οὐδέν τι ἧσσον καὶ Ἑλλησποντίων Παριανοί, τὸ μὲν ἀνέκαθεν ἐξ Ἰωνίας καὶ Ἐρυθρῶν ἀπῳκισμένοι, τὰ δὲ ἐφ' ἡμῶν τελοῦντες ἐς Ῥωμαίους. Id. c. 31. καὶ ἑορτὴν ἐν τῷ Ἑλικῶνι (in Helicone) οἱ Θεσπιεῖς καὶ ἀγῶνα ἄγουσι Μουσεῖα, ἄγουσι δὲ καὶ τῷ Ἔρωτι, ἆθλα οὐ μουσικῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀθληταῖς τιθέντες. Praeterea notabilis est locus apud *Athenaeum* XIII, 12. ubi Cupidinis cultus communis fuisse dicitur Atheniensibus (τῆς Ἀκαδημίας ἐχομένως τῇ Ἀθηνᾷ καθιερωμένης. αὐτόθι τὸν Ἔρωτα ἱδρυσάμενοι συνθύουσιν αὐτῷ). Thespiensibus (Θεσπιεῖς δὲ τὰ Ἐρωτίδια τιμῶσιν, καθάπερ Ἀθήναια Ἀθηναῖοι καὶ Ὀλύμπια Ἠλεῖοι, Ῥόδιοί τε τὰ Ἅλεια, καὶ ἐν ταῖς δημοτελέσι δὲ σπονδαῖς ὡς ἐπίπαν ὁ Ἔρως τιμᾶται), Lacedaemoniis (Λακεδαιμόνιοι δὲ πρὸ τῶν παρατάξεων Ἔρωτι προθύονται, ὡς ἐν τῇ τῶν παραταττομένων φιλίᾳ κειμένης τῆς σωτηρίας τε καὶ νίκης), Cretensibus, Thebanis, Samiis, (Σάμιοι γυμνάσιον ἀναθέντες τῷ Ἔρωτι τὴν διὰ τοῦτον ἀγομένην ἑορτὴν Ἐλευθέρια προσηγόρευσαν· δι' ὃν θεὸν καὶ Ἀθηναῖοι ἐλευθερίας ἔτυχον), adjectis ejus Dei laudibus ab Euripide celebratis, de quibus v. Valckenar. diatr. in Eurip. dram. perdit. reliqu. p. 241. (249. ed. Lips.). — Ceterum Boettigerus (Andeutung. p. 167.), contra ac Beckerus statuit ad August. p. 211., Cupidines a Graecis artificibus cultioris aetatis non puerorum figura factos fuisse docet, sed adolescentium, ut a Praxitele in earum civitatium gratiam, quae gentili religione feriisque anniversariis hunc Deum colerent, Parianorum Propontidis accolarum, et Thespiensium. Idem a Thespiensibus nostrae fabulae originem repetit, haec dicens: „Den zweiten Amor in kleinerer Statur bestimmte Praxiteles für Thespiae, wo seit den ältern Zeiten Feste und Mysterien des Eros gefeiert wurden (S. Plutarch. Amator. c. 13. T. IV. p. 22. u. 35. ed. Wyttenb. Pausan. IX, 27. 31. Lucian. Amor. c. 17.), *woher auch die mystische Allegorie von Eros und Psyche stammt.*" cf. Ottfr. *Müller* Handb. der Archaeologie der Kunst, edit. 2. p. 119. (§. 127. 3.)

tendis alienis esse docuit Vossius. Hic diffidere jussit ejus causae aestimatores Persicis illis Indicisque literarum monumentis, et de originis eorum et antiquitate et integritate, per multiplicem Indorum fraudem et eorum, qui in hanc institutionem se dederant, credulitatem maxime suspecta, diligentius quaerere, egregium hujus disciplinae sectatorem et vindicem nactus Lobeckium (Aglaopham. Tom. I. p. 773. sequ.); in iis autem, quae ab ipsis Graecis ad enarrandas fabularum suarum origines et interpretationes tradita sunt, religiosius dignoscere docuit temporum, quibus receptae et excultae fuere, diversitatem, quum alia priscae antiquitatis, alia florentis libertatis, alia Alexandrei aevi ratio appareat, postea superstitionis fraudisque licentia et novae religionis vel odium vel patrocinium omnia misere commiscuerit.

Atque eadem est mysteriorum ratio, de quibus multa nunc tradita et temere credita, pauca comperta habemus. Iam quae de Cupidine, divino amore, et de animi expiatione per longam aerumnarum seriem efficienda, et de laeto illorum laborum exitu caminibus et figuris celebrata legimus, num tandem ita recondita et abstrusa sunt, ut solis mystagogis cognita difficili demum cerimoniarum apparatu patuerint? Viva Graecorum ingenia, quae externam internamque rerum et hominum naturam omni genere imaginum describere consuevissent, num cupiditatis, omnium malorum procreatricis, et sanctioris amoris, quo, dum bona tantum et pulcra et vere divina sequitur animus, ad ipsam divinae naturae societatem erigitur, et causas et eventus concipere, intelligentia et verbis describere et figuris exprimere non potuerunt nisi extraneorum sacrorum institutione et sacerdotali ministerio adjuta? Et poetas, qui miracula naturae, terrae coelique origines et mutationes, elementorum iras et discordem rerum concordiam et quicquid sensus advertit et animos humanos diversissimo affectu movet, splendidissimis verborum imaginumque ornamentis celebraverunt, ut antiquos illos taceam, quorum nomina magis quam carmina novimus, Olenem, Pamphum et Orphea, at Euripidem et reliquos tragicos censemusne popparum discipulos fuisse et ex secretis templorum adytis ad creanda carmina processisse? Denique quid tandem mysterii est in illustribus illis Scopae, Praxitelis et Lysippi signis, amoris invicti et victoris omnisque virtutis et sapientiae auctoris imaginibus, ad universae Graeciae admirationem et studiorum aemulationem propositis, vel in minoribus illis simulacris, quae deinceps gemmis aliisque toreumatis insculpta novimus, vel continuam enarrationem laborum, quos divinitus immisso amore Psyche experta est, vel singula

illius fabulae momenta illustrantibus? At si quis dixerit, ipsam divini amoris notionem, et animi humani labem et miseriam ex errore et cupiditate oriundam, et spem ex interventu divino propositam, restitutionem denique sancto illi consortio debitam, Graecos homines sine antiqua aliqua disciplina per sacras cerimonias propagata invenire non potuisse, ei respondemus, communem aliquam narrationem de primaeva hominum felicitate et de culpae miseriaeque initiis et deinceps ingravescentibus incrementis apud omnes gentes, quae erectiora ingenia et rerum humanarum aliquam memoriam haberent, inventa fuisse, de medela autem mali et de reditu ad divinae naturae dignitatem prospere instituendo, quum vulgus in sacrorum ritibus et externae lustrationis piaculis acquiesceret, sapientissimos viros omni aetate quaesivisse et a cerimoniarum vanitate ad sublimiora studia et ad vitae sanctitatem convertendos esse animos docuisse. Quam disciplinam si quis mysticam dicere velit, consentientes nos habebit, modo ne, quae assiduis sapientiae studiis cognita videmus, arcanis artibus manifestata dicat, et eam institutionem, quam optimis prudentiae et virtutis magistris lecta auditorum cohors debuit, tenebricosae alicujus sectae umbraculis tribuat. Et egregie factum est, quod quae nostra aetate etiam melioribus ingeniis objectae fuerant nebulae, eas vehementiori spiritu dissipavit Celeb. Lobeckius, cujus librum, Aglaophami nomine inscriptum, quum inspicere et operosiore cura excutere non omnibus liceat, at juvenibus severae et sanae eruditionis studiosis qui bene consultum cupiat, satis commendare non possit, excerptis aliquot locis, qui ad hanc quaestionem proxime pertinent, ad partes nostras vocamus, et diligentioris cognitionis cupiditatem ei conciliaturi, et optimam μυσταγωγίαν ita nos exercere et ad veras τελετὰς faces praeferre existimantes.

„Mysticum igitur, ait ille Tom. 1. p. 85., non solum illud dicitur, quod in mysteriis proponitur (qua una exceptione excluduntur pleraque, quae pro mysteriis et quae contra dici solent), sed quicquid difficiliorem intellectum speciemque secreti habet, sive a natura ipsa involutum est, sive reconditis quibusdam continetur doctrinis, seu ob verborum obscuritatem majoremve pro captu audientium“; et p. 89. „Neque angustiores terminos habet usus nominum ὄργια, τελεταί, μυστήρια, quibus sacra lustralia, depulsoria, parentalia, atque magica comprehenduntur.“ — „Mox in consuetudinem venit (Id. p. 128.), ut etiam Pythagorae disciplinae theoreticae et Aristotelis scholae acroamaticae et quicquid a Platone vel subtilius vel sublimius dictum esset, mysticum

diceretur et epopticum. Cujus rei ignoratio peperit illud *duplicis doctrinae,* ut Warburtonus vocat, arcanae et vulgaris discrimen commenticium, opinionemque falsam, unumquemque philosophorum quasdam disciplinae suae partes in arcano tradidisse; unde vox illa extitit impia et detestabilis, *μὴ κοινὰ ποιεῖσθαι τὰ τῆς φιλοσοφίας ἀγαθά,* neque fas esse *δαμοσίᾳ φιλοσοφέν* (Lysis in Epist. Pythag. IV. p. 52.)" Tum p. 133. „Si quid igitur certum testatumque dici potest, est profecto hoc, mysticorum sacrorum haud diversum fuisse a publicis argumentum, deorum ortus, incrementa, amores, iras, et cetera fabularis historiae complementa. Nec minus exploratum illud, homines religiosos, ut deos immortales culpa et errore liberarent, fabulis mysticis eadem, quae popularibus et poeticis commentis, adhibuisse allegoricae interpretationis mangonia, eoque factum esse, ut mysteria ipsa allegoriis constare crederentur."*)

Postquam vidimus, quae mysteriis fere tribuantur, religionum et fabularum hujus generis interpretationes a viris sapientioribus fuisse profectas, qui vel sanctiores, quas de natura Deorum et rebus divinis concepissent, sententias, vel ea praecepta vitae, quae proximam utilitatem et promiscuam consuetudinem superarent, venustiore formae ornamento commendare et illustrare conarentur, audiamus jam Platonem, quasi quendam deum philosophorum, ut cum Cicerone loquar (de Nat. D. II, 12.), ut, ubi cognoverimus, quid ille de animi humani origine et conditione et futura sorte existimaverit, facilius judicare liceat, quomodo factum sit, ut ea fabula, quae Psychen per multas laborum vices afflictam et tandem ad augustiorem sortem restitutam depingit, a multis Platonica dici potuerit. Invenerat ille inveteratam vulgi opinionem, qui

*) Quibus ad manus est egregius liber et vere auro pretiosior, eos comparare jubeo locos p. 135. „Ergo nulla fuit Hirophantae oratio, qua epoptae ad veram sapientiam erudirentur, nec illi quicquam consequuti, praeter quae ipsi sibi cogitatione fingerent pro suo quisque captu cerimoniarum causas et consequentias conjectantes sequ." et p. 145. „Hinc jam elucet qua ratione Chrysippus eam philosophiee partem, quae de deorum natura tractat, teletis assimilaverit, et vero etiam Plato quid intenderit, quum aspectum illorum aeternorum exemplarium, in quae sola sapiens aciem dirigit, epoptiae quoddam genus sed multo perfectius esse diceret sequ.", et p. 149. „Ili autem *μυστικοὶ λόγοι* versabantur in fabularum interpretatione vel morali vel naturali, quam fabulosae narrationi opponit Servius ad Aen. V, 295. sequ.", denique quae inde a p. 155. de allegoricae interpretationis origine et incrementis exposita sunt, maxime p. 158. et 180.

sensus et externam speciem sequi solitus animam corpori inesse credebat, divino aliquo spiritu immissam, quae consumto corpore evolet et ad infera loca detrusa vanam formae, qua in humana vita inclusa fuerat, umbram (εἴδωλον) ferat, quam rationem in Homericis carminibus ita obtinere, ut in magna locorum diversitate veterum Graecorum de animae natura et conditione et de locis inferis opiniones ad certam aliquam notionem revocare haud facile contigerit, post multa interpretum, qui in comparandis et conciliandis illis operam collocarunt, pericula satis compertum est.*) De ipso animo, h. e. de nobiliore illa facultate dicam an numine, quo sentimus et cogitamus et concupiscimus, rudis et indocta multitudo non multum quaerebat, unde plurima superstitionis genera, multiplices cerimoniae, et mortis ille metus, quem ita perniciosum esse judicabat Plato, ut versus Homericos tali religioni opportunos melius ejiciendos censeret de Rep. III. init., ne cives a constantia vitae et fortitudine averterent. At illum populum ita sentientem nusquam legimus sacerdotum et mysteriorum interventu ad saniorem sententiam vocatum fuisse, et qui recentiore aetate novissimae scholae Platonicae interpretationem Homero accommodare sategerunt, iis haud melius res successit, quam Ebraici codicis enarratoribus, qui nihil curantes temporum vices et disciplinae primordia, incrementa et ultimam perfectionem, caecis illis Judaeis de natura animi et immortalitate ea pro certis placuisse statuebant, quae post multas hominum aetates summi demum magistri institutione sancita et confirmata sunt.

Iam quum eam disciplinam Platonis cognoscamus, quae hodieque maximam sapientissimorum hominum admirationem commoveat, easque gravissima-

---

*) v. quae Heynius ad Iliad. ψ, 65. et 104 de diversa ratione, qua ψυχή et εἴδωλον describuntur in carminibus Homericis, annotavit, et quae disputavit Spohnius in comment. de extrema Odysseae parte cap. 3. maxime e pag. 41. contra Koësium, et p. 46. de transitu animarum ad inferos et de Mercurio ψυχοπομπῷ. Docta est dissertatio Voelckeri de notione voc. ψυχή et εἴδωλον, quae in Iliade et Odyssea obtineat (*Ueber die Bedeutung von ψυχή und εἴδωλον in der Ilias und Odyssee, als Beitrag zu der homerischen Psychologie, von Karl Heinr. Voelcker.* Giessen 1825.) Sed ante reliquos consulendus Vossius in dissertatione, qua priscorum Graecorum notiones de divina natura animi et immortalitate examinantur (*Gottheit und Fortdauer der Seele nach altgriechischer Vorstellung*), repetita in libro inscripto: *Antisymbolik* Tom. 1. p. 168. sequ., inde a p. 203. Comparanda etiam, quae Heynius ad Aeneid. VI. excurs. 1 — X exposuit.

rum rerum notiones, quae ad divinam veritatem proxime accedant, jure quaerimus, quibus fontibus irrigatum egregium viri ingenium ad tantam sciendi dicendique perfectionem processerit.*) Tum vero ad Pythagorae et Empedoclis, et Eleaticorum, Xenophanis maxime et Parmenidis, scholas reverti jubemur. Et vero sunt in libris Platonicis multi loci, qui ex illius institutionis tirociniis eum profecisse doceant. Sed in his comparandis maxima cautio adhibenda est, ut bene provideamus, ubi Socrates Platonicus serio veros doctrinae suae auctores laudet, ubi reconditiores sententias illustribus auctorum nominibus vel excusatas vel commendatas velit, et ubi vanam Sophistarum abstrusam omnis generis sapientiam magno fastu venditantium ostentationem simulata admiratione cavilletur, qua in re judicanda multi interpretes modum videntur excessisse, ut aut parum agnoscerent Socraticam urbanitatem et pro veris laudibus haberent, quae cum faceta irrisione dicta sunt, aut derisos existimarent, quorum institutionem Plato justa verecundia prosequebatur. Verissime quidem Lobeckius Aglaopham. p. 127 sequ. docuit, poetas et Sophistas et ceterarum artium professores majorem, qua ipsi excellerent, scientiam rerum ex mysteriorum arcanis haustam finxisse, ideoque Platonem, praesertim quum Sophistarum vanitatem irrideret, frequentissime eos hac initiatorum imagine ornatos ad ludibrium exponere, ut Euthydem. p. 277. D. (Steph.), ad quem locum Winkelmannus monuit, comparari Sophistas illos cum epoptis et sacrificulis, qui in mysteriis rem omnem sacram administrent et ea curent, quae ad initiationem necessaria sint, in saltationibus mysticis praesules, et Gorg. p. 497. C., ubi Socrates: *Εὐδαίμων εἶ, ὦ Καλλίκλεις, ὅτι τὰ μεγάλα μεμύησαι πρὶν τὰ σμικρά*, coll. Sympos. p. 209. E. *Ταῦτα μὲν οὖν τὰ ἐρωτικὰ ἴσως κἂν σὺ μυηθείης· τὰ δὲ τέλεα καὶ ἐποπτικὰ οὐκ οἶδ' εἰ οἷός τ' ἂν εἴης.* Atque ita, qui Gorg. p. 493. A. commemoratur *μυθολογῶν κομψὸς ἀνήρ, ἴσως Σικελικός τις ἢ Ἰταλικός*, non ut gravis auctor laudatur, sed, ut Stallbaumii, doctissimi interpretis, verbis utar, notatur ibi non tam Pythagoreorum, quam Pythagoristarum atque Orphicorum docendi ratio, propter mythorum involucra tenebris repleta et perobscura, inter quos in primis Empe-

*) De fontibus, ex quibus hausisse videtur Plato, perite egit *Ackermannus* in libro inscripto: *Das Christliche im Plato und in der platonischen Philosophie*, Hamb. 1825. p. 52. sequ. et p. 92. sequ.

docles Socratica ironia significatur. Sed quod eodem loco, ubi de corpore animi sepulcro loquitur Socrates, addit: *ὅπερ ἤδη του ἔγωγε καὶ ἤκουσα τῶν σοφῶν*, id ad Heraclitum hujus sententiae anctorem pertinere, ex Clemente Alex. et Sexto Empirico plures ostenderunt interpretes, Stallbaumius collato assimili loco Cratyl. p. 400. c. ad Orphicorum doctrinam referre maluit, Boeckhius in libello, quem de Philolao Pythagoreo scripsit, p. 181. huic vindicat, quem dissensum, quum commune antiquissimae philosophiae praeceptum haud facile a certo aliquo anctore repetere liceat, non moramur. Atque idem valet de nobilissimo loco Phaedr. p. 246., ubi animus alis instructus coelestia petere dicitur, ad quem Stallbaum. haec annotavit: „Mirati sunt saepenumero viri docti, cur philosophus animis alas attribuerit, ejusque rei causam modo in Pythagoreorum placitis, modo in doctrina Orphicorum, modo in loco nescio quo aut in irrisione quaerendam censuerunt. — Describit Socrates toto hoc loco divini vim amoris, quo agitantur eorum pectora, qui coelestibus sacris initiati sunt. — Negavit Schleiermach. Platonem in hoc placito suo efformando Pythagoreis aliquid debuisse. Quamquam illud nemo infitiabitur, Pythagoreos animi naturam vel duplicem vel etiam triplicem finxisse, prouti *τὸ θυμικὸν* et *τὸ ἐπιθυμητικὸν* segregarunt, vel tanquam unum quiddam rationi opposuerunt. — Quae si quis diligenter consideraverit, *vestigia Pythagoricae doctrinae in Platonis placitis conspicua esse vix dubitare audebit.*" Insignis autem prae ceteris mihi videtur locus Phaedon. p. 96. sequ., quo sub Socratis persona longum et difficile iter describit Plato, quo ad investigandam veritatem rerum per varias laudatorum magistrorum discliplinas processerit. cf. Stallbaum disput. *de Platonis vita, ingenio et scriptis* p. VIII. not., et de doctrina Pythagorica a Platone percepta et in usum vocata p. XIX. et XXIII. sequ. et p. XXIX. Neque fidem negandam existimamus iis, quae Diogenes Laert. III, 8. sequ. de magistris Platonis, maxime c. 12. de Epicharmo narravit, vel, dummodo dignam tanto discipulo sententiam concipias, iis, quae ille c. 10. dicit: *μίξιν ἐποιήσατο τῶν τε Ἡρακλειτείων λόγων καὶ Πυθαγορικῶν καὶ Σωκρατικῶν· τὰ μὲν γὰρ αἰσθητὰ καθ' Ἡράκλειτον, τὰ δὲ νοητὰ κατὰ Πυθαγόραν, τὰ δὲ πολιτικὰ κατὰ Σωκράτην ἐφιλοσόφει.* His adjungimus, quod ad Phaedr. p. 247. A., ubi sublime Jovis magnorumque Deorum domicilium et beata, quae ex summis locis percipiunt, rerum spectacula describuntur, Stallbaum. scripsit: „Inter eos, qui Platoni hac in re praeiverunt, praecipue Pythagorei et Empedocles commemorandi sunt. — Quorum omnium decretis

Platonem hoc loco usum esse profecto nulla est causa cur praefracte negemus, praesertim quum eum noverimus etiam alias Pythagoreorum doctrinam subtilius excultam elaboratamque ad rem suam traduxisse. Neque enim existimandum est eum quae illi docuissent fideliter servavisse, nihil in iis immutavisse et suis opinionibus accommodavisse." Quid quod in descriptione judicii post mortem futuri, de Rep. X. p. 614. C., in quo pii dextrorsum et per coelum, condemnati sinistrorsum et deorsum ire jubentur, idem mirum cum Orientalium populorum placitis consensum, mox p. 616. C. in corona coeli ambitum cingente et octo corporum coelestium orbibus Parmenidis vel si quis malit Philolai Pythagorei dogmata agnoscit. Imaginem autem scientiae humanae tenebris immersae, donec aliquis sapientia duce ad plenam lucem prodierit, quam Plato de Rep. VII. init. venusta oratione explicavit, Porphyrius diserte dicit a Pythagoreis et Empedocle repetitam esse. Totum autem locum *de migratione animarum* quomodo Pythagorei tractaverint et quid tandem Orphicae alicui doctrinae debeatur, optime disces a Lobeckio, qui eam quaestionem Aglaopham. Tom. II. p. 796. — 806. persecutus est.

Longum est, de reliquis locis exponere, qui prima eruditionis Platonicae vestigia ostendunt, neque historiam Platonis scribimus *), vel id agimus, ut viam, qua ille ad tantam sapientiam profectus est, cognitione nostra remetiamur. Sed, quod antea diximus, per omnes aetates viros, quibus benignior ingenii vena contigisset, de iis rebus, quae ad totius vitae humanae summam pertinerent, diligentius quaesivisse **), atque eam sublimioris scientiae tanquam he-

*) Post multa, quae de vita et studiis Platonis et de librorum, quos servatos habemus, tempore et ordine conscripta et saepe cupidius judicata sunt, egregie consultum est iis, qui magnum scriptorem admirantur, insigni opera Celeb. *Stallbaumii*, qui ad praeparandam lectionem Platonis in praefatione editionis Gothanae de ejus vita, ingenio et scriptis ita disputavit, ut diligentissimum cognitorem et prudentissimum actorem causae facile agnoscas. Quem librum a peritioribus maximo assensu comprobatum juvenibus, qui sacris Platonicis initiari cupiunt, satis commendare non possumus. Ceterum, quam multa nobis desint ad judicii de Platone ferendi integritatem et veritatem docuit *Ackermannus* l. c. p. 125.

**) *Voss*. Antisymb. T. I. p. 187. „In den Schulen der gottforschenden Weltweisen, nicht im Verschloſs der Priester, lernte der Fähige: dem Allweisen und Allguten gefalle nur, wer weise und gut lebe; und ihn führe der Tod zu der anwachsenden Seligkeit, noch weiser zu sein, und besser." Et p. 191. „Mysterien zwar, von nicht pfaffischer Art, sind schon

reditatem per manus traditam tandem ad Platonem pervenisse, a quo exculta omnibusque divinae mentis divitiis exornata in futuram aetatem propagaretur, id nostrum fuit demonstrare. Neque credimus, quae de Orphicis mysteriis narrantur, recentiore fraude et superstitione astructa; at meliorum et sapientiorum hominum de divinis humanisque rebus sententias in consecrato Orphei nomine agnoscimus, ad quod referre solebant Graeci, quicquid antiquitus carminibus sententiisque praeceptum majore verecundia suspicerent. Posthaec constitutis per Ioniam et Italiam civitatibus, per Thaletis et Pythagorae disciplinam de rerum natura et primordiis quaeri, mores ordinari, leges prudentius ferri, privatae publicaeque vitae praecepta sententiis commendari, optimos viros studiorum societate conjungi, sapientiam ex scholarum umbraculis in vitae consuetudinem deferri videmus. Tum peremto Socrate, qui philosophiam de coelo vocatam vitae morumque magistram fecerat, divina aliqua providentia et insigni generis humani emolumento Plato exstitit, qui omni genere priscae eruditionis institutus, cognitisque, quae a Pythagoreis, Eleaticis, ab Empedocle et Heraclito et a sagacioribus viris Parmenide et Anaxagora subtilius vel doctius praecepta fuissent, peregrinatus etiam per eas regiones, quae illa aetate ingeniis locupletiorem discendi materiam praeberent, novam lucem affudit reconditiori illorum doctrinae, disjectisque umbraticorum tenebris, ostentatorum fraudibus, animos ad altiora studia evocavit et liberatos vanarum illecebrarum cupiditate divinam originem repetere docuit, quo in negotio ille ita versatus est, ut in prima vitae parte Socratis vestigia pressius sequeretur, mox suo se ingenio liberius committeret, tandem nova schola condita placita sua apertius pronunciaret, servata tamen ea prudentia docendi, quam Socratis exemplo commendatam multoque usu comprobatam reperisset. *)

---

bei Homer anzunehmen: Mysterien der forschenden Vernunft, wie sie auf jeder Stufe der Menschenbildung den Hochsinnigen zu höherem Sinn erwecken. — Was ist es, wohin jeder Edlere ringt mit angeschaffenem Sehnsuchtsdrang, was jeder Edlere für sich, oder mit Geistgenossen, in tiefahnenden Weihestunden aus der innersten Herzensoffenbarung sich erstreben mufs, bis finsterer Zweifelmut hindurchdringt zu tagendem Vertrauen, zu erfreuendem Morgenschimmer des ewigen Lichts, des Abglanzes vom Urlicht? Es ist das hochhehre, das unausforschliche Geheimnis: Gott und Unsterblichkeit."

*) Quid Socraticae disciplinae Plato debuerit, optime explicasse mihi videtur *Ackermannus* l. c. p. 164. sequ.

Atque eam prudentiam, quae rerum sublimitatem orationis festivitate temperat et utilia dulcibus miscet, praecipue admiramur in fabulis, quas gravissimis disputationibus Plato saepe interposuit. De iis multi diversum in modum judicarunt. *) Wolfius in enarratione argumenti Symposii Platonici (p. LVIII. novissimae edit.), ubi de festiva illa fabula, quae Sympos. c. 14. Aristophanis personae data est, exponit, pluribus dialogis Platonis ait tales fabulas vel narrationes ex antiquissima vel nobis incognita aetate insertas esse, non eodem ubique philosophi consilio, reperiri eas in Protagora, Gorgia, Phaedro, in ultimo libro de Rep. locisque aliis, et satis notam esse fabulam de insula Atlantide, quae in Critia legitur, multis iisque magnam partem ineptis interpretum commentis vexatam. Quas num suo ingenio finxerit Plato, an ex antiquiore aliquo monumento desumserit, an certe primam earum materiam in carminibus suae gentis invenerit, ut sane quae de inferis locis ab eo narrantur ex Orphico aliquo poeta nunc deperdito hausta videantur, incertis rei vestigiis pro certo constitui non posse. Memoravit idem, a Gallico aliquo homine singularem dissertationem de usu fabularum Platonico editam esse, de qua ita judicat, ut nobis incognitam haud nimis desideremus. Maximam omni aetate lectorum et interpretum Platonis admirationem movit ea fabula, quam Symposii p. 203. (c. 23.) de Cupidine ex Poro et Penia genito Diotima narrat, multos illa nacta imitatores et interpretes, quibus commemoratis Stallbaumius concedendum quidem professus est Procli et Clementis Alex. auctoritati, ut illius argumentum ex Orphico carmine repetitum esse credamus, praesertim quum exploratum habeamus, Platonem non raro ad Orphicorum doctrinam

---

*) De fabularum et comparationum usu Platonico cf. Id. p. 69. Imitatus est Platonis exemplum Platonicus nostrae aetatis, *Carus* (*Vorlesungen über Psychologie.* Lips. 1831.) Is p. 75. „Man könnte es übrigens vielleicht tadeln, dafs wir die Anschauung aller dieser Verhältnisse, welche doch Gegenstand wissenschaftlicher Erkenntnifs werden sollen, hier insbesondere durch Gleichnisse nahe zu bringen suchen; allein es ist gewifs, dafs es viele Verhältnisse giebt, die so zart sind, dafs, wenn man sie ohne alle Hülle und Gleichnisse darstellen will, sie gleichsam unter der Hand zerfliessen, oder in ein paar dürftige Worte zusammentrocknen, und so weit schwerer zu lebendiger Anschauung kommen. Auch haben wir mindestens hier das Beispiel des Plato für uns, welcher so oft, und gerade dann, wenn die Klarheit und Schärfe seiner Anschauungen am meisten uns erfreut, unter Gleichnissen zu reden pflegt."

allusisse et respexisse (coll. Creuzer. Symbol. Tom. III. p. 67.), sed repudiatis eorum opinionibus, qui de placitis Orphicis atque mysticis hoc etiam loco cogitabant, et exposita ea interpretatione, quae consilio scriptoris et sententiarum nexui unice conveniret, haec subjunxit: „Apparet autem, Platonem hoc mytho voluisse amoris naturam declarare accuratius et quasi imagine aliqua illustrare. Quum enim intellexisset amorem, hoc est pulcri et boni studium, contineri insatiabili quadam cupiditate rerum maxime exoptatarum; verissime duplicem cujusque amantis esse vidit statum, alterum indigentiae, quatenus studio illi pulcri atque boni nondum satisfactum esset, alterum divini cujusdam fervoris, quo correptus animus ferretur atque raperetur ad ea, quae bona atque pulcra esse vidisset quibusque potiri summo studio conaretur." Sed ad alios locos Platonis idem vir doctus etiam disertius exposuit, quo consilio fabulosis narrationibus sapientissimus scriptor usus fuerit, ut ad Phaedon. p. 107. D. Verba ejus haec sunt: „Quod autem Plato haud raro usus est in dialogis suis mythorum involucris, ejus rei plures causas videtur habuisse. Neque enim eos ornatus tantum gratia orationi intertexuit, quamquam ne hunc quidem neglexit philosophorum poeta, sed ubique gravius multo suaque persona dignius consilium hac in re secutus est. Saepenumero enim videtur mythicis illis narrationibus usus esse, quo significaret argumentum, quod attigisset, ita esse comparatum, ut suspicionibus magis et conjecturis esset indulgendum, quam ratiociniis ac disputationibus confidendum. Quod ubi facit, iis fabulis et narrationibus, quae apud Graecos erant vulgo celebratae, sic plerumque utitur, ut non solum abjiciat aut mutet quae consilio suo parum accommodata erant, sed simul etiam civium suorum superstitionem corrigat et removere studeat. Ex qua re intelligitur, quodnam aliud etiam consilium in usu mythorum Plato secutus sit. Voluit enim ineptam illam plebis superstitionem sensim tollere aut certe emendare. Denique etiam eo consilio mythos adhibuisse videtur, ut animos aequalium caeca superstitione oppressos sensim quasi praepararet ad purioris sapientiae doctrinam percipiendam." cf. Id. ad Phaedr. p. 240. „Animi vim et naturam illustraturus fabulae utitur involucro. Quod quamnam ob causam ita fecerit, ipse haud obscuro prodidit indicio. Gravius enim ac difficilius hoc argumentum esse arbitratur, quam quod vel subtiliter explorari vel dilucide illustrari queat. Quippe sapienter philosophus usus est fabulosis narrationibus, sicubi videret aliquid ita esse comparatum, ut magis conjectando quam disserendo posset illustrari. Nam imaginandi facultas menti et rationi

in vero exquirendo velut fatiscenti succurrere solet, ut altera alterius vi polleat, quandoquidem ratio in imaginandi facultatis regnum transgreditur, imaginatio autem quodammodo mentis rationisque partes in se suscipit.“ Ejusdem generis sunt, quae ad Phaedr. p. 276. D. *παγκάλην λέγεις παιδιὰν τοῦ ἐν λόγοις δυναμένου παίζειν, δικαιοσύνης τε καὶ ἄλλων ὧν λέγεις πέρι μυθολογοῦντα*, ita annotavit: „*Μυθολογεῖν* nunc dicitur is, qui in ejusmodi rebus rimandis veluti ingenio suo indulget animumque tamquam narrationibus et fabulis oblectat, libere in earum tractatione versans neque dialectica utens severitate;“ ad quem l. cf. Phaedon. p. 110, B. *εἰ γὰρ δεῖ καὶ μῦθον λέγειν καλόν, ἄξιον ἀκοῦσαι, οἷα τυγχάνει τὰ ἐπὶ τῆς γῆς ὑπὸ τῷ οὐρανῷ ὄντα.*

Elegantissima ejus generis est fabula Phaedr. p. 259. de hominibus, dum Musarum cantum admirantur et dulcissima auscultandi voluptate deliniuntur, inedia consumtis, mox Dearum beneficio in cicadas mutatis, quae adhuc ministrantes Musis, qui homines maximo officiorum honore eas prosequantur, diligentissime annuncient. Eam fabulam ab Himerio repetitam esse, post Wernsdorfium monuit ad h. l. Heindorfius. Neque praetermittere nobis licet eum locum Gorg. p. 523 sequ., ubi sub fabulae involucris de futura post hanc vitam animorum conditione et de triumvirorum, Minois, Radamanthi, Aeaci judicio omnibus mortuis subeundo cum gravissima admonitione Socrates exponit, neque Eris Armenii fabulam, quae legitur de Rep. X. p. 614. sequ., de statu animorum post mortem futuro, de judicio, et de itinere per millenos annos conficiendo, de quo loco conferendus est Schleiermacherus ad interpretationem Germanicam.

Sed aliis locis lepida urbanitate Plato exagitat eos, qui antiquis fabulis abutentes reconditas sententias ad naturam rerum vel ad disciplinam morum pertinentes in iis quaerebant, cujus generis interpretem post antiquiores philosophos, Pythagoram, Empedoclem, Democritum aliosque Anaxagoram fuisse, qui eam rationem certa et constanti ratione ad carmina Homerica transferret, docuit Stallbaum. ad l. II. de Rep. p. 378. E. Ita jucundissime ludit Socrates Phaedr. p. 229. de fabula Attica, quae Orithyian a Borea raptam ferebat, ejusque interpretatione, et interrogante Phaedro: *ἀλλ' εἰπὲ πρὸς Διός, ὦ Σώκρατες, σὺ τοῦτο τὸ μυθολόγημα πείθει ἀληθὲς εἶναι;* respondet: *Ἀλλ' εἰ ἀπιστοίην, ὥςπερ οἱ σοφοί, οὐκ ἂν ἄτοπος εἴην· εἶτα σοφιζόμενος φαίην αὐτὴν πνεῦμα Βορέου κατὰ τῶν πλησίον πετρῶν σὺν Φαρμακείᾳ παίζουσαν ὦσαι, καὶ οὕτω δὴ τελευτήσασαν λεχθῆναι ὑπὸ τοῦ Βορέου ἀνάρπαστον γεγονέναι*

κ. τ. λ., quibus verbis notari philosophos et sophistas fabulas ἀλληγορικῶς interpretantes, manifestum est monuitque ad h. l. Stallbaumius. Exposuere de allegoricis illis fabularum enarratoribus Wolfius proleg. ad Homer. p. 161. sequ., et qui novae hujus artis initia et progressus doctissime persecutus est, Lobeck. Aglaoph. Tom 1. §. 20. p. 155. sequ. Socratem ipsum Homeri Hesiodique fabulas in severius examen nunquam vocasse, neque illum nisi per lusum allegoriae vacasse, judicat Nitzschius in prolegom. ad. Platonis Jonem p. 14., sed ut ejusmodi lusum Phaedri l. c. agnoscat. Assimilis autem est ille locus, quem supra excitavimus, Gorg. p. 493. ὅπερ ἤδη του ἔγωγε καὶ ἤκουσα τῶν σοφῶν, ὡς νῦν ἡμεῖς τέθναμεν, καὶ τὸ μὲν σῶμά ἐστιν ἡμῖν σῆμα, τῆς δὲ ψυχῆς τοῦτο, ἐν ᾧ ἐπιθυμίαι εἰσί, τυγχάνει ὂν οἷον ἀναπείθεσθαι καὶ μεταπίπτειν ἄνω κάτω, καὶ τοῦτο ἄρα τις μυθολογῶν κομψὸς ἀνήρ, ἴσως Σικελός τις ἢ Ἰταλικός, παράγων τῷ ὀνόματι διὰ τὸ πιθανόν τε καὶ πιστικὸν ὠνόμασε πίθον, τοὺς δὲ ἀνοήτους ἀμυήτους· τῶν δ᾽ἀμυήτων τοῦτο τῆς ψυχῆς, οὗ αἱ ἐπιθυμίαι εἰσί, τὸ ἀκόλαστον αὐτοῦ καὶ οὐ στεγανόν, ὡς τετρημένος εἴη πίθος, διὰ τὴν ἀπληστίαν ἀπεικάσας. τοὐναντίον δὴ οὗτός σοι, ὦ Καλλίκλεις, ἐνδείκνυται, ὡς τῶν ἐν Ἅιδου — τὸ ἀειδὲς δὴ λέγων — οὗτοι ἀθλιώτατοι ἂν εἶεν οἱ ἀμύητοι, καὶ φοροῖεν εἰς τὸν τετρημένον πίθον ὕδωρ ἑτέρῳ τοιούτῳ τετρημένῳ κοσκίνῳ· τὸ δὲ κόσκινον ἄρα λέγει, ὡς ἔφη ὁ πρὸς ἐμὲ λέγων, τὴν ψυχὴν εἶναι· τὴν δὲ ψυχὴν κοσκίνῳ ἀπείκασε τὴν τῶν ἀνοήτων ὡς τετρημένην, ἅτε οὐ δυναμένην στέγειν δι᾽ ἀπιστίαν τε καὶ λήθην κ. τ. λ. Hunc locum de industria et ob varias rationes totum transscripsimus, et quia originationes illas, in quibus aucupandis ut nostra aetate ita illa multi mire sibi placebant, ita cavillatur Plato, ut eundem Cratyli auctorem statim agnoscas, et quia Danaidum fabula ad allegoricam interpretationem vocatur, Italico alicui vel Siculo philosopho ironice tributam, denique quoniam ad investigandam fabulae de Psyche, quam cum maxime quaerimus, originem illius comparatione ducimur. Ceterum, ut revertamur eo, unde digressi sumus, non miretur, Platonem fabularum, sive ipse composuerit, sive ab aliis desumserit, sive ad ejus argumenti, quod forte tractaret, rationem immutatas reddiderit, tam crebrum usum fecisse, qui reputaverit, antiquissimos poetas, ut Hesiodum, Archilochum, Stesichorum, mox etiam philosophos, ut Xenophanem, Parmenidem, Empedoclem, Epicharmum, et vitae publicae privataeque praecepta et placita Pythagorica fabularum veste ornata proposuisse, et Phaedon. p. 60. D. Socratem dici ultimis vitae diebus Aesopi fabulas in versus redegisse, cujusmodi interpre-

tationis Socraticae initium a Diogene Laertio II, 42. servatum habemus, denique eodem et Aeliano Var. Hist. II, 30. auctoribus constare, Platonem ineunte adolescentia ad poesin, ad quam natum se sentiebat generosissimum ingenium, animum appulisse, ut etiam cum Homero, mox cum tragicis poetis de praemio decertare voluerit.

Restat, ut cognoscamus, quid Plato ipse, ubi ex instituto hoc argumentum tractat, de animo humano statuerit, qua de re quum viri docti vel Platonem interpretantes, vel dum placita hujus philosophi una summa complecti conantur, vel per alias disserendi opportunitates copiosissime exposuerint, nobis licet esse brevioribus. Et ante alios commemorandus est Wyttenbachius, qui singulari disputatione quaerere instituit, quae fuerit veterum philosophorum inde a Thalete et Pythagora usque ad Senecam sententia de vita et statu animorum post mortem corporis, ejusque sectionem quintam, qua de Platone agit, editioni Phaedonis praeposuit. Ibi absoluta priore parte, qua demonstratur, *animos esse immortales*, p. XXXIX. ed. Lugdun. ita pergit: „Altera pars, qua ostenditur, *qualis sit ille post hanc vitam status*, fabulose ac poetice a Platone tractata est, ut eam totam referre alienum sit ab hujus disputationis consilio. Sunt vero quatuor loci, ubi Plato hunc quasi fingendi campum nactus in eo excurrit, eumque poetica facultate exornat; in Phaedro, Phaedone, Gorgia, et decimo de Republica. Nec vero mihi quis objiciat, Platonem has narrationes non ut fabulas, sed ut veras res, retulisse, quippe ipsum in Gorgia p. 312. E. et Reip. X. p. 518. F., has narrationes ordiri ejusmodi introitu, quo dicat, se non fabulam sed verum referre. Nam primo quidem, haec non serio, sed ex Socratica ironia dicta esse, facile quivis unus non alienus a Platonis consuetudine intelligit. Deinde in ea narratione de regionibus apud Superos et Inferos, quae est in fine Phaedonis, Socrates diserte pronunciat p. 401. A. (p. 114. D. Steph.): *τὸ μὲν οὖν ταῦτα διϊσχυρίσασθαι οὕτως ἔχειν, ὡς ἐγὼ διελήλυθα, οὐ πρέπει νοῦν ἔχοντι ἀνδρί· ὅτι μέντοι ἢ ταῦτ᾽ ἐστιν ἢ τοιαῦτ᾽ ἄττα περὶ τὰς ψυχὰς ἡμῶν καὶ τὰς οἰκήσεις, ἐπείπερ ἀθάνατόν γε ἡ ψυχὴ φαίνεται οὖσα, τοῦτο καὶ πρέπειν μοι δοκεῖ καὶ ἄξιον κινδυνεῦσαι οἰομένῳ οὕτως ἔχειν.* Tum breviter recenset Wyttenbachius hos locos Platonicos, Gorg. p. 523. sequ. (inde a c. 79.), Phaedon. p. 107. sequ. (inde a c. 57.), de Rep. X. p. 614. seqn. (inde a c. 13.), et Phaedri p 246. sequ. (inde a c. 25.), et Platonicae de statu post hanc vitam sententiae hanc summam efficit: „Animas, ut antea fuerunt, ita postea futuras; post

mortem corporis judicium earum fieri apud inferos, poenas et praemia constitui; poenas proprie in medicinae locum iis adhiberi, exceptis insanabilibus, quae semper in Tartaro maneant in exemplum, quo aliae a sceleribus absterreantur; quae animae in hac vita philosophiam vere tractarint, seque in veritatis contemplatione exercuerint, et a corporearum voluptatum contagione puras castasque servaverint, has igitur manere apud deos nec in corpora redire; quae vero magis affectae fuerint peccatis et voluptatum contagione, has purgari primum et poenas dare, praemia tamen quoque accipere, si quid bene fecerint in hac vita; sed post longum annorum circuitum ad nova corpora redire, ita ut optio cuique detur, quodnam vitae genus eligere velit; hanc vitam prouti vel cum virtute vel cum vitiis degerit, ita denuo post corporis mortem ei eventurum; in primum et antiquum felicitatis statum nullam redire animam, nisi quae per philosophiam se ab omni rerum corporearum contagione purgaverit." Cum his comparanda sunt, quae Stallbaumius in praefationibus ad libros Platonicos, quos modo laudavimus, prolixius edisseruit;*) non enim id nobis agendum est, ut totam philosophi disciplinam ipsi diligentius excutiamus, vel quae ab aliis eruditius exposita sunt, breviore commentario repetamus. Id tamen monendi sunt ii, qui ad Platonem recenti impetu accedunt, non in uno tantum vel altero ejus libro, neque in iis solis, quos memoravimus, sententias ejus de praesenti et futura animi conditione quaerendas, sed per omnes ita dispersas esse, ut modo cum aliis quaestionibus conjunctas, modo ad erigenda ingenia auditorum vel ad illustrandam orationem tanquam semina virtutum et igniculos ex reconditiore lucis sede fusas, modo diserta institutione expositas reperiamus. Eam ob causam juvat advertere adolescentes ejus sapientiae studiosos ad aliquot locos, qui ad eam rem,

---

*) *Tennemannum*, qui Histor. philos. Tom. III. de philosophia Platonica egit, propterea non commemoravi, quoniam, quae in ipso Platone inter se conjuncta et artissime nexa sunt, nimis in partes dissecuit easque singulas explicavit, disciplinae rationem et formam aliquam secutus, sed ut cognitioni ingenii et artis Platonis valde officeret. Praeterea in alium errorem induxit eos, quibus Plato minus cognitus esset, ut de esoterica aliqua ejus institutione cogitaret, quod satis refutavit *Schleiermacher*. praefat. ad interpr. Germ. Tom. I. p. 12. sequ. af. *Ackermann*. l. c. p. 206. Magis commendaverim iis, qui sequi didicerint magistrum de rebus philosophicis subtilius disserentem, quae Ackermannus de Platonis philosophia exposuit l. c. p. 178. sequ.

de qua agimus, propius pertinent, in quo simul id consilii sequimur, ut illi et ad lectionem Platonis acrius commoveantur et in verae virtutis viam gravissimo illo duce et monitore compellantur.

Igitur ut Apol. p. 40· mors dicitur esse *μεταβολή τις καὶ μετοίκησις τοῦ τόπου ἐνθένδε εἰς ἄλλον τόπον*, ita Alcib. I. p. 130. *ὅτι ἡ ψυχή ἐστιν ἄνθρωπος*, et p. 131. *Οὐκοῦν ἐγώ εἰμι ὁ οὐκ ἀπιών, ἀλλὰ παραμένων, λήγοντος τοῦ σώματος, τῶν ἄλλων ἀπεληλυθότων*, et ridet Socrates lugentem Critonem Phaedon. p. 115. verbis: *Οὐ πείθω Κρίτωνα, ὡς ἐγώ εἰμι οὗτος ὁ Σωκράτης, ὁ νυνὶ διαλεγόμενος καὶ διατάττων ἕκαστον τῶν λεγομένων, ἀλλ᾽ οἴεταί με ἐκεῖνον εἶναι, ὃν ὄψεται ὀλίγον ὕστερον νεκρόν, καὶ ἐρωτᾷ δή, πῶς με θάπτῃ* sequ. Unde egregia illa admonitio: *Ἀλλὰ τόδε γ᾽, ὦ ἄνδρες, δίκαιον διανοηθῆναι, ὅτι, εἴπερ ἡ ψυχὴ ἀθάνατος, ἐπιμελείας δὴ δεῖται οὐχ ὑπὲρ τοῦ χρόνου τούτου μόνον, ἐν ᾧ καλοῦμεν τὸ ζῆν, ἀλλ᾽ ὑπὲρ τοῦ παντός, καὶ ὁ κίνδυνος νῦν δὴ καὶ δόξειεν ἂν δεινὸς εἶναι, εἴ τις αὐτῆς ἀμελήσει· εἰ μὲν γὰρ ἦν ὁ θάνατος τοῦ παντὸς ἀπαλλαγή, ἕρμαιον ἂν ἦν τοῖς κακοῖς ἀποθανοῦσι τοῦ τε σώματος ἅμα ἀπηλλάχθαι καὶ τῆς αὐτῶν κακίας μετὰ τῆς ψυχῆς· νῦν δὲ ἐπειδὴ ἀθάνατος φαίνεται οὖσα, οὐδεμία ἂν εἴη αὐτῇ ἄλλη ἀποφυγὴ κακῶν οὐδὲ σωτηρία πλὴν τοῦ ὡς βελτίστην τε καὶ φρονιμωτάτην γενέσθαι. οὐδὲν γὰρ ἄλλο ἔχουσα εἰς Ἅιδου ἡ ψυχὴ ἔρχεται πλὴν τῆς παιδείας τε καὶ τροφῆς, ἃ δὴ καὶ μέγιστα λέγεται ὠφελεῖν ἢ βλάπτειν τὸν τελευτήσαντα εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τῆς ἐκεῖσε πορείας.* Phaedon. p. 107. C., et p. 114. E. *ἀλλὰ τούτων δὴ ἕνεκα θαῤῥεῖν χρὴ περὶ τῇ ἑαυτοῦ ψυχῇ ἄνδρα, ὅςτις ἐν τῷ βίῳ τὰς μὲν ἄλλας ἡδονὰς τὰς περὶ τὸ σῶμα καὶ τοὺς κόσμους εἴασε χαίρειν, ὡς ἀλλοτρίους τε ὄντας, καὶ πλέον θάτερον ἡγησάμενος ἀπεργάζεσθαι, τὰς δὲ περὶ τὸ μανθάνειν ἐσπούδασέ τε καὶ κοσμήσας τὴν ψυχὴν οὐκ ἀλλοτρίῳ ἀλλὰ τῷ ἑαυτῆς κόσμῳ, σωφροσύνῃ τε καὶ ἀνδρείᾳ καὶ ἐλευθερίᾳ καὶ ἀληθείᾳ, οὕτω περιμένει τὴν εἰς Ἅιδου πορείαν, ὡς πορευσόμενος ὅταν ἡ εἱμαρμένη καλῇ*, et paullo ante: *ἀλλὰ τούτων δὴ ἕνεκα χρὴ πᾶν ποιεῖν. ὥςτε ἀρετῆς καὶ φρονήσεως ἐν τῷ βίῳ μετασχεῖν· καλὸν γὰρ τὸ ἆθλον καὶ ἡ ἐλπὶς μεγάλη.* Misera autem conditio animi vel, ut pressius sequamur Graecam vocem, animae cum corpore conjunctae et felicissima liberatae ab eo vinculo describitur Phaedon p. 79. D. verbis: *τότε μὲν ἕλκεται ὑπὸ τοῦ σώματος εἰς τὰ οὐδέποτε κατὰ ταὐτὰ ἔχοντα, καὶ αὐτὴ πλανᾶται καὶ ταράττεται καὶ ἰλιγγιᾷ ὥςπερ μεθύουσα, ἅτε τοιούτων ἐφαπτομένη. — Ὅταν δέ γε αὐτὴ καθ᾽ αὑτὴν σκοπῇ, ἐκεῖσε οἴχεται ἐς τὸ καθαρόν τε καὶ ἀεὶ ὂν καὶ ἀθάνατον καὶ ὡςαύτως ἔχον, καὶ ὡς συγγενὴς οὖσα αὐτοῦ ἀεὶ*

μετ' ἐκείνου τε γίγνεται, ὅτανπερ αὐτὴ καθ' αὑτὴν γένηται καὶ ἐξῇ αὐτῇ, καὶ πέπαυταί τε τοῦ πλάνου καὶ περὶ ἐκεῖνα ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ὡςαύτως ἔχει, ἅτε τοιούτων ἐφαπτομένη, καὶ τοῦτο αὐτῆς τὸ πάθημα φρόνησις κέκληται. Et in his quidem vestigia cognoscere nobis videmur fabulae, quae Psychen errantem ostendit et liberatam, coll. Phaedon. p. 108. A. *ἡ μὲν οὖν κοσμία τε καὶ φρόνιμος ψυχὴ ἕπεταί τε καὶ οὐκ ἀγνοεῖ τὰ παρόντα· ἡ δὲ ἐπιθυμητικῶς τοῦ σώματος ἔχουσα περὶ ἐκεῖνο πολὺν χρόνον ἐπτοημένη καὶ περὶ τὸν ὁρατὸν τόπον, πολλὰ ἀντιτείνασα καὶ πολλὰ παθοῦσα, βίᾳ καὶ μόγις ὑπὸ τοῦ προςτεταγμένου δαίμονος οἴχεται ἀγομένη κ. τ. λ.*, et p. 82. E. *γιγνώσκουσι γὰρ οἱ φιλομαθεῖς, ὅτι παραλαβοῦσα αὐτῶν τὴν ψυχὴν ἡ φιλοσοφία ἀτεχνῶς διαδεδεμένην ἐν τῷ σώματι καὶ προςκεκολλημένην, ἀναγκαζομένην δὲ ὥςπερ δι' εἱργμοῦ διὰ τούτου σκοπεῖσθαι τὰ ὄντα, ἀλλὰ μὴ αὐτὴν δι' αὑτῆς, καὶ ἐν πάσῃ ἀμαθίᾳ κυλινδουμένην — ὅτι οὕτω παραλαβοῦσα ἡ φιλοσοφία ἔχουσαν αὐτῶν τὴν ψυχὴν ἠρέμα παραμυθεῖται καὶ λύειν ἐπιχειρεῖ κ. τ. λ.* cf. Phaedon. p. 65, A. et Cratyl. p. 403. E. Itaque Socrates, postquam de ultimo judicio locutus est, Gorg. p. 526. D. *Ἐγὼ μὲν οὖν ὑπὸ τούτων τῶν λόγων πέπεισμαι, καὶ σκοπῶ, ὅπως ἀποφανοῦμαι τῷ κριτῇ ὡς ὑγιεστάτην τὴν ψυχήν. χαίρειν οὖν ἐάσας τὰς τιμὰς τὰς τῶν πολλῶν ἀνθρώπων, τὴν ἀλήθειαν σκοπῶν πειράσομαι τῷ ὄντι ὡς ἂν δύνωμαι βέλτιστος ὢν καὶ ζῆν καὶ ἐπειδὰν ἀποθνήσκω ἀποθνήσκειν. παρακαλῶ δὲ καὶ τοὺς ἄλλους πάντας ἀνθρώπους, καθ' ὅσον δύναμαι, καὶ δὴ καὶ σὲ ἀντιπαρακαλῶ ἐπὶ τοῦτον τὸν βίον καὶ τὸν ἀγῶνα τοῦτον, ὃν ἐγώ φημι ἀντὶ πάντων τῶν ἐνθάδε ἀγώνων εἶναι.*

His adjicienda sunt, quae de daemone cujusque hominis, a quo mortui recipiantur, dicuntur Phaedon. p. 107. D., ad quem locum v. Wyttenb., coll. Tim. p. 40. At Sympos. p. 202. E. Amor ipse, nempe divinus ille, qui bonum et verum et pulcrum, divina omnia, unice expetit, *δαίμων μέγας* dicitur et *δαιμόνιον μεταξὺ θεοῦ τε καὶ θνητοῦ, ἑρμηνεῦον καὶ διαπορθμεῦον θεοῖς τὰ παρ' ἀνθρώπων καὶ ἀνθρώποις τὰ παρὰ θεῶν, τῶν μὲν τὰς δεήσεις καὶ θυσίας, τῶν δὲ τὰς ἐπιτάξεις τε καὶ ἀμοιβὰς τῶν θυσιῶν· ἐν μέσῳ δὲ ὂν ἀμφοτέρων συμπληροῖ, ὥςτε τὸ πᾶν αὐτὸ αὑτῷ ξυνδεδέσθαι. — θεὸς δὲ ἀνθρώπῳ οὐ μίγνυται, ἀλλὰ διὰ τούτου πᾶσά ἐστιν ἡ ὁμιλία καὶ ἡ διάλεκτος θεοῖς πρὸς ἀνθρώπους, καὶ ἐγρηγορόσι καὶ καθεύδουσι*, quibuscum comparanda sunt, quae in eodem Symposio p. 208. sequ. dicuntur de animo gravido virtutis et summi boni amore, et p. 210. de gradibus, quibus amor a corporis forma ad animi pulcritudinem et tandem ad verae et aeternae pulcritudinis speciem ascendat.

Liceat his, immensum enim est singula recensere, duo locos adjungere, qui nos proxime ad fabulam nostram deducunt. Alter est Phaedr. p. 237. *Δεῖ αὖ νοῆσαι, ὅτι ἡμῶν ἐν ἑκάστῳ δύο τινέ ἐστον ἰδέα ἄρχοντε καὶ ἄγοντε, οἷν ἑπόμεθα ᾗ ἂν ἄγητον, ἡ μὲν ἔμφυτος οὖσα ἐπιθυμία ἡδονῶν, ἄλλη δὲ ἐπίκτητος δόξα, ἐφιεμένη τοῦ ἀρίστου. τούτω δὲ ἐν ἡμῖν τοτὲ μὲν ὁμονοεῖτον, ἔστι δὲ ὅτε στασιάζετον, καὶ τοτὲ μὲν ἑτέρα, ἄλλοτε δὲ ἡ ἑτέρα κρατεῖ· δόξης μὲν οὖν ἐπὶ τὸ ἄριστον λόγῳ ἀγούσης καὶ κρατούσης, τῷ κράτει σωφροσύνη ὄνομα· ἐπιθυμίας δὲ ἀλόγως ἑλκούσης ἐπὶ ἡδονὰς καὶ ἀρξάσης ἐν ἡμῖν τῇ ἀρχῇ ὕβρις ἐπωνομάσθη. ὕβρις δὲ δὴ πολυώνυμον· πολυμελὲς γὰρ καὶ πολυειδές. καὶ τούτων τῶν ἰδεῶν ἐκπρεπὴς ἣ ἂν τύχῃ γενομένη, τὴν αὑτῆς ἐπωνυμίαν ὀνομαζόμενον τὸν ἔχοντα παρέχεται, οὔτε τινὰ καλὴν οὔτε ἐπαξίαν κεκτῆσθαι κ. τ. λ.* Hunc locum libere, ut solet, interpretatus est *Cicero* Tuscul. disp. II, 21. et IV, 5. „*Quoniam, quae Graeci πάθη vocant, nobis perturbationes appellari magis placet quam morbos, in his explicandis veterem illam equidem Pythagorae primum, deinde Platonis descriptionem sequar: qui animum in duas partes dividunt, alteram rationis participem faciunt, alteram expertem: in participe rationis ponunt tranquillitatem, id est placidam quietamque constantiam; in illa altera motus turbidos tum irae, tum cupiditatis, contrarios inimicosque rationi.*“ Alter est Timaei p. 69. C. *ἀλλὰ πάντα ταῦτα πρῶτον διεκόσμησεν – ξυνέθεσαν,* in quibus insignia sunt haec: *ἄλλο τε εἶδος ἐν αὐτῷ ψυχῆς προσῳκοδόμουν τὸ θνητόν, δεινὰ καὶ ἀναγκαῖα ἐν ἑαυτῷ παθήματα ἔχον, πρῶτον μὲν ἡδονήν, μέγιστον κακοῦ δέλεαρ, ἔπειτα λύπας, ἀγαθῶν φυγάς, ἔτι δ᾽ αὖ θάῤῥος καὶ φόβον, ἄφρονε ξυμβούλω, θυμόν τε δυσπαραμύθητον, ἐλπίδα τ᾽ εὐπαράγωγον αἰσθήσει τε ἀλόγῳ καὶ ἐπιχειρητῇ παντὸς ἔρωτι.*

Redeundum jam ad Psychen nostram, quam si vel maxime derelictam aliquis putaverit, per longos anfractus et sinuosos recessus investigatam tandem invenisse nobis videmur. Quicunque enim signa, quae a Platone petivimus, diligentius comparaverit, eandem illam ψυχὴν agnoscet, quam ille divinitus procreatam, mox dum in his terris vivit, cupiditate a puro et sincero divinae naturae amore misere distractam, tandem per omnis generis aerumnas et labores purgatam et eodem illo amore duce et impulsore coelo redditam describit. Iam quis neget, Platonicam eam esse fabulam, quamquam in iis libris, qui extant, hoc simulacro ornata non reperitur, igitur vi quidem et significatione, non forma et habitu Platonicam? Fictam fuisse ejusmodi fabulam ab ipso Platone, in libris fortasse, qui perierunt, vel docentis ore propositam,

quis enixe affirmare ausit, quis temere negare? *) Neque pro certo aliquis statuerit, quamvis probabile videatur, fuisse aliquam narrationem hujus argumenti in alicujus Pythagorei carminibus, qua μετεμψύχωσις vel potius μετενσωματώσις illa illustraretur; nos de *Epicharmo* cogitavimus, cujus notissimum illud est νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν, ἄρθρα 'ταῦτα τῶν φρενῶν, quum Diogene Laert. VIII, 2. auctore constet, reliquisse illum ὑπομνήματα, ἐν οἷς φυσιολογεῖ, γνωμολογεῖ, ἰατρολογεῖ. Certe ad utrumque genus, et quod in natura contemplanda versatur et quod vitae praecepta inde deducit, fabula nostra pertinet. Neque absurdum fuerit existimare, talem ἀλληγορίαν *Empedoclis* libris περὶ φύσεως insertam fuisse, quorum partem τοὺς καθαρμούς, carmen satis celebratum a scriptoribus antiquis, complexam fuisse, conjecit Sturzius comment. de Empedocle §. 6. p. 76. Atque possit aliquis documentum ejus rei depromere ex eo, quod *Porphyrius de Antr. Nymph.* c. 8. comparationem illam Platonicam de Rep. VII. init., qua homines opaco antro inclusi et a luce aversi nil nisi umbras rerum cognoscere dicuntur, auctori Empedocli tribuit his verbis: Οἱ Πυθαγόρειοι καὶ μετὰ τούτους Πλάτων ἄντρον καὶ σπήλαιον τὸν κόσμον ἀπεφήναντο· παρὰ γὰρ Ἐμπεδοκλεῖ αἱ ψυχοπομποὶ δυνάμεις λέγουσιν· ἠλύθομεν τόδ' ὑπ' ἄντρον ὑπόστεγον. cf. Sturz. Empedocl. p. 454. Maxime autem ad causam nostram pertinet Empedoclis sententia, qua φιλία et νεῖκος principia rerum fuisse dicuntur. v. *Ioann. Philioponus* ad Aristotel. de anima I, 1. ποτὲ μὲν ἡ ψυχὴ νοητῶς ἐνεργεῖ καὶ ἀνατείνεται πρὸς τὰ θεῖα, ποτὲ δὲ κατάγεται εἰς τὴν ὕλην. διὰ ταῦτα οὖν ἔλεγεν ὁ Ἐμπεδοκλῆς, ἐκ τῆς φιλίας εἶναι καὶ τοῦ νείκους τὴν ψυχήν. cf. Sturz. l. c. p. 445, praecique quae ille inde a p. 448 ad locum *Plutarchi* de exsilio c. 17. disputavit. Sed utcun-

*) *Elster* dissert. cit. p. 8. „Etiamsi vero Platonem exemplum habemus, qui cum ingenii impetu, quo poetarum more sublime fertur, feliciter conjunxit illud mentis acumen, quo cognoscantur causae rerum et supra vulgarem hominum modum perspiciantur: tamen huic tanto viro fabulam tribuere hoc magis dubito, quod et omni scriptorum testimonio hoc judicium foret destitutum, et res quaedam in ea denotantur, quae a Platonis disciplina videntur alienae. Quae cum ita sint, a vero non aberrare mihi videor, si, qua aetate Plato vel ipse vivebat, vel certe disciplina ejus vigebat, eandem habeam, qua haec fabula flore suo celebrari coepta sit.“ Haec, quum nostrae sententiae repugnare videantur, maxime ei assentiuntur, modo ne praefracte Platonis dicas, quam Platonicam esse contendimus, et recentioris formae ornamenta ab antiqua simplicitate sejungas.

que sit; amplissimus enim conjiciendi voluptati campus patet, non tantum antiquam eam fabulam esse, sed Pythagoricae disciplinae, excultae postea et insigni acumine emendatae a Platone, magnam veri speciem prae se ferre, persuasum habemus. Mystica etiam est, modo ne de mysteriis, quae mali nunc ominis sunt, aliquis cogitaverit, sed quo sensu antiquos homines mystica dixisse vidimus, quae sub tenui involucro reconditam et ad ingenii animique cultum utilem doctinam continerent. Qui post Platonem fuere scriptores, quos quidem post magnam proximae et insequentis aetatis jacturam novimus, aut secuti sunt illius exemplum, aut in dialecticis haeserunt, quae a talibus ornamentis prorsus aliena sunt. Mox Graeculi homines Romana aetate in scholis umbraticam disciplinam exercuerunt, alii ex servata majorum messe spicas colligere, alii, dum exoletas superstitiones rident, bona et venusta cum turpibus et falsis abjicere coeperunt. Extitit tandem novorum Platonicorum secta, quam hodie multi fortasse nimis admirantur, sed non injuria ad suffragia vocant, ubi de philosophiae formis et de mutato interpretationis genere quaeritur. Et his quidem utilissimam operam dederunt Wyttenbachius et Creuzerus, ut satis excussum videatur, quicquid bonae frugis ex iis ad Platonis interpretationem conferri possit; exspectant, qui post magna Hemsterhusii et ejusdem Wyttenbachii merita ex libris suis vergentis philosophiae filum pertexat, Plutarchus et Lucianus, ex quibus quid ad nostrae causae cognitionem petere liceat, fortasse alio tempore videbimus. Artifices autem, nam de his quoque breviter dicendum, utrum poetarum vel philosophorum, qui poetas agerent, narrationem secuti fuerint, an scriptores ex ipsis artis monumentis liberiorem fingendi materiam ceperint, haud facile decernas. Nobis quidem, quamquam de his judicandi facultatem aliis relinquimus, de hac re ita statuendum videtur. Fuere antiquitus in pluribus Graeciae civitatibus, quae hanc religionem maximo cultu prosequebantur, Veneris et Cupidinis statuae, rudes prius et informes, mox exculta arte pulcriores et meliore notione, quam homines de illis Diis concepissent, digniores, doneo Praxitelis et Lysippi et Scopae artificium philosophorum sententias majestate aequare coepit. Sed postquam Pythagoreorum prius, exinde Platonicorum disciplina divini amoris vere divinam imaginem concepit animique humani vel animae, ut ψυχῆς appellationem strictius sequamur, naturam et casus et extremam sortem diligentius explicavit, mox continua fabulae enarratione ornavit, facile extiterunt novi artifices, qui partes fabulae, tanquam actus scenicos, omni imaginum genere exprimerent, ita

ut nostra etiam aetate quae extant signa ejus generis, certo ordine componi et describi possint. Atque insigne documentum, quid praestare valeat ars pictoria in tali argumento, edidit summus artifex recentioris aetatis, Raphaelis Sanctius, qui Psychae fabulam bis diverso imaginum genere et numero persecutus est. Sed recentiores omnes Appulejum secuti sunt, qui ut ipse Platonicus fuit longe diversus ab antiquae Academiae discipulis, ita fabulam dedit, in qua primus auctor suam vix agnovisset, ad seculi sui suumque judicium veri et pulcri deformatam, inquinatam, perversam, conturbatam, cui tamen id beneficii debemus, quod admirari nobis licet egregii carminis reliquias, quas intueri, perlustrare, ad omnes ingenii artes et ad vitae disciplinam adhibere nulla aetas cessabit. Atque ita factum fuisse hodieque fieri, et supra ostendimus et nuper vidimus, quum repetita lectione versabamus doctissimum librum, quo *Carus*, vir elegantissimus, arte medica studiisque philosophicis et picturae peritia pariter eximius, quas scholas de animi humani natura Dresdae habuerat, cum majore lectorum numero communicavit.*) Quod ille de fabula nostra judicavit, id cum iis, quae hactenus diximus, ita consentit, ut tantam auctoritatem sententiae nostrae accessisse merito laetemur. Idem p. 100 sequ. peropportune usus est illustri illo loco Platonis, quem supra laudavimus,

---

*) *Vorlesungen über Psychologie, gehalten im Winter* 1829—30. *zu Dresden, von Dr. C. G. Carus*, etc. Lips. 1831. — P. 52. „Was die immer mehr gegenständlich denkenden Griechen betrifft, so sind wohl kaum jemals zierlicher die Erkenntnisse über die wichtigsten Entwickelungsmomente der Seele zusammengestellt worden, als in dem Mährchen von der Psyche, welches, wie jede rein aufgefaſste Idee, sich, einmal gegeben, auch so erstaunlich fruchtbar bewiesen hat, daſs die ganze Kunstwelt des Alterthums von Darstellungen aus diesem Cyclus erfüllt ist, ja daſs noch für die neueste Zeit immer wieder Keime zu neuen Darstellungen sich erschlieſsen und selbst für alle Folgezeit eine unerschöpfliche Fundgrube übrig bleibt.“ Tum totam fabulam et singulas ejus partes ad ipsa disciplinae momenta ita explicavit, ut, nisi prolixior locus esset, totum redderemus. De ultimis laboribus Psychae sic exposuit: „Bei allen diesen schweren Aufgaben, wo sie hundertfältig ohne höhere Hülfe dem Verderben preisgegeben war, verläſst sie das Auge der Liebe nicht, ihre Schwachheit wird durch unsichtbare Arme gestärkt, ihrer Rathlosigkeit wird trefflichste Anweisung ertheilt, selbst ihre Voreiligkeit wird wieder gut gemacht, und jetzt erst, nachdem sie durch schwere Proben einen unabänderlichen Willen, ein reines Bestreben dargethan hat, erwirbt ihr der Eros, die Liebe, Verzeihung, und sie wird aufgenommen in das Reich des Lichts, und dem Unsterblichen vermählt.“

de Rep. VII. init. Comparantur ibi homines, qui hac in vita de rebus divinis primisque rerum notionibus cognoscunt, cum iis, qui in antro aliquo inclusi, nexis membris et cervicibus, tergo remotis antri faucibus obverso, umbras earum rerum vident, quae in exteriore parte praeterferuntur, et notiones rerum ad has umbrarum imagines concipiunt atque ad talem cognitionem nomina iis imponunt; qui si repente liberati vinculis ex antro deducerentur, conniverent ad solis radios et aegre demum paulatimque tanto splendori assuescerent, donec lucem rerumque illustratarum veritatem ferrent et admirarentur, et si in pristinam conditionem restituerentur, rursus ad umbrarum cognitionem coecutirent, at judicantes de earum significatione sine dubio ab imperitis tenebrarum sociis ut debiles oculisque capti deriderentur. Mox p. 129. vera omnia illa esse agnoscit, quae a Platone de primis perfectisque veri et boni et pulcri notionibus, ut divinis aeternisque, non externa aliqua institutione traditis, sed insitis animo et recordatione revocandis, judicata sunt.*)

Inviti discedimus tandem ab hoc curriculo, quod, dum fabulam aliquam Platonicam persequimur, tanquam in Academia inter optimorum virorum sermones et colloquia emensi sumus. Sed, quum tota haec scriptio non iis destinata sit, qui sapientiae thesauros ipsi adire et haurire sciunt, sed juventuti

---

*) Vergessen wir also nie, was der Plato, den die Alten mit Recht oft den Göttlichen nennten, den Menschen schon vor länger als 2000 Jahren mit so vieler Klarheit philosophisch ausgesprochen hat, dafs nämlich *keine der höhern Erkenntnisse*, welche im vollkommen menschlichen Dasein sich irgend bethätigen, uns *von aussen* gegeben werden können, dafs die Ideen des Wahren, des Guten, des Schönen, eben weil sie göttlicher Natur sind, schon in dem frühesten dunkeln Keime der Psyche lebendig vorhanden sein müssen, und dafs wir ganz eigentlich mit Plato das Gewahrwerden alles Höhern nur *ein Erinnern*, ein *Uns-innewerden* nennen dürfen, und dafs nichts in der Welt uns das Wissen von diesem Göttlichen, oder, wie wir auch zu sagen pflegen, das Gewissen von aussen geben könnte, wenn es nicht von Haus aus schon unser Eigenthum wäre." Atque hunc cujusque melioris sensus, sublimioris cujusque affectus fontem et originem esse, omnes erectioris ingenii homines semper intellexerunt, ut Miltonus, ubi dicit: *Love is the scale, By which to heavenly love thou may'st ascend,* et nuper *Jo. Falkius*, in cujus libro, quem de Goethio scripsit, haec legimus: „Psychens Flügel sind zu mächtig, um sich von dem klebrigen Schmuz des Erdbodens verhaften zu lassen. Sie sucht Gott und den Himmel im tönenden Aufschwung zum Ideal und findet beide im Gebiete der Dichtung," p. 224., et: „Dem Aufschwung des Menschen zur Idee überhaupt verdanken wir besonders den Aufschwung der Seele zu Gott." p. 225.

nostrae, cui via ostendenda, fontes demonstrandi, atque ex puris illis et salutaribus laticibus aliquid delibandum et propinandum erat, quod desiderium faceret plura gustandi et cupiditatem ad divinam illam voluptatem, quae continuo optimarum et vere humanarum artium usu percipitur, a vanis illis, quae ad breve tempus placent et fastidio cruciant satiatos, quotidianae vitae oblectamentis converteret, finem imponendum commentandi jucunditati et ad eam rem, quae ad scribendum nos impulit, progrediendum existimamus. Itaque, quamquam valde nos alliciebat opportunitas nostrae quoque religionis auctores comparandi, qui ubi de summis praeceptis loquuntur, quae nonnisi a piis et divinae sapientiae consecratis ingeniis cognosci et percipi et exerceri soleant, eam *σοφίαν θεοῦ ἐν μυστηρίῳ* et *τὴν ἀποκεκρυμμένην* et *μέγα μυστήριον*, nosque, dum hic vivimus, involutis capitibus umbras rerum videre dicunt (*ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ τὴν δόξαν Κυρίου κατοπτριζομένους*), clausosque terrestri hac corporis custodia angore et aerumnis cruciari et meliorem statum concupiscere; tamen abstinemus eo proposito quamvis non alieno ab eo argumento, quod tractavimus, et bonae frugis pleno, praesertim quum intellexerimus, nuper Platonicae et Christianae disciplinae comparationem diligentissime institutam esse ab *Ackermanno* theologo Jenensi. *) Is enim non in eo substitit, ut, quod multi antea fecerant, singulas sententias compararet, quamquam hoc etiam in priore libri parte egregie factum est, sed totum genus philosophandi, quod Plato exercuit, et Christianae religionis principia et finem persecutus acutissime docuit, quid commune sit antiquae illi futurorum sacrorum praeparationi et tanquam praemeditationi, quid ipsis sacris a praesente generis humani vindice institutis peculiare et proprium. Hunc librum et qui pari prudentia et pietate scripti sunt utinam cognoscerent ii, qui verae sapientiae penetralia neque ipsi ingressi neque alios ingredi patientes hodieque vociferantur, poetas et philosophos et principes in omni genere viros antiquae aetatis, quam classicam dicere consuevimus, religioni Christianae adversari; ad quam contemplandam si quis recens a Platonis lectione redierit, quamvis formae venustate minus commendatam etiam majore verecundia amplexabitur, quum, quae sublimiore ille spiritu praesagüsset et conscientiae te-

*) Das Christliche im Plato und in der platonischen Philosophie, entwickelt und hervorgehoben von D. C. Ackermann, Archidiakonus zu Jena. Hamburg, 1835.

stimoniis (*συμμαρτυρούσης τῆς συνειδήσεως*, ut cum Paulo loquamur) admonitus docuisset, ad universi generis humani intelligentiam proposita et unius sanctissimi viri exemplo confirmata et ad perpetuam disciplinam sancita, divino autem amore, cujus affectu pii illi homines ad melioris conditionis desiderium commovebantur, veram malorum medelam aeternaeque salutis exspectationem mortalibus datam esse intellexerit. Nam quum cujusque magistri sapientiae, ut quisque optime praeparatus ad eam accesserit, justum pretium promtissime statuit, ita tantum abest, ut Graecorum institutione initiatos a divinae religionis sacris avertamus, ut ductum et exemplum providentiae divinae, quae per omnes aetates semina veri spargi, vias sterni, tirocinia poni, omnibusque, qui unquam fuere, testimonia sui edi voluit (*καί τοί γε οὐκ ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν*), optime ita sequi videamur. Atque ita nos effecturos existimamus, ut non doctiores magis quam meliores et ad optima quaeque promtiores, qui nobis traditi commendatique sunt juvenes suis et patriae et futuro rerum nostrarum judici restituamus. Quod ut assiduae operae nostrae contingat, impensius precabimur illo die, quem hoc libro indicimus. Celebrabimus enim hoc anno memoriam conditi Afranei nostri, dilata ob aliorum negotiorum, quae publice imposita nobis fuerant, intercursum prisca solemnitate, d. XXIV. mensis Septembris inde ab hora matutina X. loco et more solito. Orationes habebunt et carmina recitabunt sex juvenes ornatissimi nobisque in paucis cari, post ultimam gratiarum actionem scholae, quae eos enutrivit et optimo divinae humanaeque sapientiae pabulo hunc in diem aluit, valedicturi, qui hoc ordine prodibunt:

I. Fridericus Herrmann *Nadler*, Pirnensis, *memoriam celebrabit eorum, qui de schola Afrana prae ceteris bene meriti sunt*, verba secutus Sophoclis Ajac. 518.

> *χάρις χάριν γάρ ἐστιν ἡ τίκτουσ' ἀεί·*
> *ὅτου δ' ἀποῤῥεῖ μνῆστις εὖ πεπονθότος,*
> *οὐκ ἂν γένοιτ' ἔθ' οὗτος εὐγενὴς ἀνήρ.*

II. Carolus Robertus Herrmann *Räde*, Goedanus Lusatiae, Germanico carmine *alacri se animo et bonae spei plenum* dicet *capessere cursum, qui juvenili labori aperiatur*, propositis verbis, quae Tassio poetae tribuit poeta Goethius:

> — — — — — *Blicke freudig!*
> *Es ist so groſs, so weit, was vor dir liegt!*

Und hoffnungsvolle Jugend lockt dich wieder
In unbekannte lichte Zukunft hin.

III. Julius Ferdinandus *Freund,* Niederauensis, sententiam: *Virtutis est domare, quae cuncti pavent,* carmine Latino exornabit.

IV. Edmund *Römisch,* Lipsiensis, *meritis humanis ut frugibus sua tempora esse* (ad sententiam Gallici scriptoris: *Le mérite des homme a ses saisons aussi bien que les fruits*), Gallica oratione ostendet.

V. Joannes Woldemar *Scheuffler,* Lommatiensis, Graeca elegia illustrabit sententiam Graecam: *ἄγει πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος.*

VI. Fridericus Alfred Ottokar *Helbing,* Liebstadiensis, Horatianum: *Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam* Latina elegia explicabit.

His commilitonum nomine fausta omnia apprecabitur quamvis fragilem vitae humanae cymbam ingressuris

Martinus Theodorus *Leuchte,* Haynichenensis,

memor ille Schilleriani:

Was sind Hoffnungen, was sind Entwürfe,
Die der Mensch der flüchtige Sohn der Stunde
Aufbaut auf dem betrüglichen Grunde?

Post illos elegiam Latinam, Kreyssigii auctoris certaminis poetici Latini judicio prima laude ornatam, recitabit

Fridericus Gustavus *Meifsner,* Königsteinensis.

His juventutis Afranae studiis ut audientia sua et benigno assensu favere simulque pro Rege Augustissimo et regni socio, et pro iis, quibus institutionis publicae cura et tutela regiis auspiciis commissa est, denique pro universae patriae incolumitate et scholae Afranae statu et incrementis preces et bona vota nobiscum concipere velint, quicunque aliquo patrocinii vel amicitiae nexu nobiscum vel cum nostris conjuncti sunt, maxima observantia rogamus.

Scr. in Schola Regia Afrana prid. Kal. Septembres MDCCCXXXV.

Epimetron.

Iam sub prelo erat dissertatio nostra, quum Celeb. Boettigerus, certior factus, nos in hoc argumento cum maxime versari, qua semper nos prosecutus est singulari humanitate et benevolentia, misit nobis ex immensis, quas undique collectas et comparatas habet, copiis plures gemmarum et anaglyphorum imagines, quae ad illustrandam Psyches fabulam faciunt, et adjunxit et aliorum et suas interpretationes. Quibus praestantissimis symbolis, vere ξεινήϊα δῶρα dicas, utinam uti nobis licuisset per temporis et hujus libelli sumtusque rationes, quas excedere vetamur. Sed ut cognoscant, quibus minus noti sunt thesauri Boettigeriani, quantae opes in illis reconditae non minorem editoris et dispensatoris eruditionem et diligentiam exspectent, quam quae colligendis et digerendis iis praefuit, et ut saliva moveatur plura appetendi ejusmodi cupediorum studiosis, paucis describimus, quae doctissimus senex nobiscum communicavit, pleraque accuratius tractanda alii opportunitati servamus.

I. Nuptiae Psyches et Cupidinis conspiciuntur in gemma Tryphonis, quam lapide exsculptam reddimus Klinkichtiorum, honestissimorum bibliopolarum, industria. Primus eam publicavit Sponius in Miscellan. erud. antiqu. De ea Boettigerus inter alia haec scripsit: „Cernitur nunc in exquisitissimis gemmis Ducis Malmesburiensis, unde imaginem scite delineatam a Cipriano pictore Italo aere affabre sculpsit Bartolozzius in opere magnifico: *Gemmarum antiquarum delectus ex praestantioribus desumtus, quae in Dactyliotheca Ducis Marlburiensis conservantur (Choix de pierres antiques gravées de Cabinet du Duc de Marlborough)*. Est gemma ultima Tom. I. n. 50. Inter alias tabellas aere exscriptas inserta etiam est in luculento opere *Bryantii: A new system or Analysis of ancient Mythology* T. II. p. 392. Sexcenties repetita est, v. c. in Montefalconiano opere T. I. pl. 121. Nec omisit Stoschius in opere praeclaro n. 70. nec Braccius in *Memorie degli antichi incisori* CXIV. p. 249. Tom. II., unde nostra ducta est delineatio. —" Idem: „Maximae semper admirationi fuit in hac gemma felicissima sculptoris dexteritas in velando sponso et sponsa, integumento tam pellucido obvolutis, ut oris lineamenta, quamvis velata sint, oculorum aciem non fugiant (*paene videre est ut nudam*)"; et rursus: „Gemma omnium praestantissima, exquisito et pulcherrimo opere, quod quidem adeo perfectum absolutumque reddidit artifex, ut nihil fere supra vel exprimi vel excogitari possit. In omnibus partibus coeunt venustas, di-

gnitas, gratia, cumque plus dimidio extent figurae, quod de Parrhasii Ephesii picturis narrat Plinius, de anaglypho hoc praeclaro praedicari merito potest: sic desinere scilicet extremitates et ambire se lineamenta, ut promittant alia ulterius ac veluti ostendant, quae occultent. Mirum multis visum est, cum scalptor ita egregius et vel Pyrgoteli comparandus fuerit Trypho, nunquam tamen alias neque in gemmis literatis neque in antiquorum scriptis nomen ejus comparere. Verum hunc scrupulum quodammodo exemit Anthologia, in qua Addaei epigramma in Tryphonis Galenam occurrit, elegans sane illud et pervetustum." v. Anal. Brunck. T. II. p. 242. VI. Anthol. Iacobs. T. II. p. 225. VI. In hoc epigrammate Γαλήνη, quam Indica beryllo exsculpsisse dicitur Trypho, Boettigero interprete est Malacia, dea marina, Nereidum una, non commemorata quidem in Nereidum recensu apud Homerum, sed Γαλήνης imaginem in Isthmo commemorat Pausanias II, I. extr. Epigrammatis versum 3. ἠνίδε καὶ χείλη νοτερὴν πλείοντα θάλασσαν Jacobsius emendavit: λειοῦντα θαλάσσην h. e. λειαίνοντα, *quae tranquillum reddant mare*. Commentator Britannicus dactyliothecae Malmesbur. scripsit: νοτερὴν πνείοντα θάλασσαν, addita hac versione: *Adspice, labra madent nativum halantia rorem.*

Ceterum quae Cel. Boettigerus de lecto geniali, ad quem pompa ducitur in gemma (cf. Aldobrandin. Hochz. p. 124.), de turture, quam aviculam manu demulcet, Cupido, (Cupidinem a Psyche sua sejunctum et columbam Veneris gremio foventem, collata Tryphonis gemma, agnoscit idem in statua marmorea Musei Capitolini T. III. tab. 63. cf. *Buonarotti Osservaz. sopra alcuni medagl. ant.* p. 426., *Nachr. v. einer Kunstsamml. in Hannover* p. 15.), de vinculo s. vitta lanea in articulos et internodia distincta (de quo infularum ornamento egit *Visconti ad Mus. Pio-Clement.* T. IV. p. 2. not. a. et p. 98.), qua connexi ambulant Amor et Psyche, de Hymenaeo facem praeferente, qui desponsatos (*quos irrupta tenet copula*) ducit, de puero paranympho, qui canistrum pomis repletum capitibus sponsorum imponit, vannum mysticam pomis et frugibus plenam hic cerni existimat Boettigerus, denique de ipsa hac vanno mystica doctissime exposuit, collato anaglypho Mus. Napoleont. T. II. p. 12., in quo initiationem pueri agnoscit, cujus capiti vannus mystica imponitur a Sileno, haec omnia inviti nunc seponimus.

II., Egregium est anaglyphum marmoreum prope Romam effossum, postea Londinum in *Muscum Townlejanum* devectum, cujus effigiem cum interpretatione Anglica nobiscum communicavit Boettigerus. Conspiciuntur in eo Amor

et Psyche in geniali lecto accumbentes, nuptialia dona afferentibus Cupidinibus Nymphisque alatis, aliis lyra citharaque accinentibus. Quaa interpres Britannus annotavit: „The Genius of generation, presenting to them the animating spirit under tha forme of a dove, denotes the moment, in which the *vis vitae* is again brought into action in these personifications of Bacchus and the Libera, in whom it had lain dormant during their temporary residence *in Inferis*, recording thereby the apparent death or inaction of the *vis vitae* in nature, during the Winter Solstice and its renewal during that of the Summer", ea vera esse alii credant, nos non item. Simile aliud est anaglyphum in Poecile Iustiniana T. II. tab. 91.

III. His subjungimus mentionem vasis ex sardonyche facti (*Déscription d'un vase de sardonyx antique, gravé en relief.* St. Petersb. 1800.), in quo juxta Apollinem lyram plectro pulsantem et Dianam cum cerva astantem, Hymenaeo cum face nuptiali advolante, Hebe poculum ministrante, et juxta sponsam, quae sponsum exspectare videtur, plures Cupidines papiliones diversis modis cruciant, Psyche ad radices arboris in genua prolapsa manibus post tergum revinctis Cupidinem cum arcu accedentem pacem veniamque rogat.

IV. Denique commemoramus, fabulam Cupidinis et Psyches ad Appuleji narrationem *Latino* carmine tractatam esse ab Elstero, adjuncto dissertationi, quam laudavimus, Helmstad. 1829., et, quod nunc a Boettigero edocti scimus, *Russico* a poeta ejus gentis, cui nomen Bogdanowitsch. Hoc carmen *Duschenka* inscriptum, quod valde placuit Catharinae Imperatrici, Germanice reddidit Linckerus Baro. Inscriptus est liber: *Die epische Fabel der Psyche nach dem Apulejus metrisch übersetzt — von Joh. Jac. Freyh. von Lincker*, Jena 1805.

Jahresbericht

über

die Königliche Landesschule zu Meissen.

Julius 1834 *bis Michaelis* 1835.

Die von dem Hohen Cultusministerium auf das Ende des Junius und Anfang des Julius d. J. angeordnete Versammlung der Rectoren der Gelehrtenschulen Sachsens zu Dresden machte es nothwendig, die Sommerferien der Anstalten in dieselbe Zeit zu verlegen, in welcher die Vorsteher derselben zu jenen Geschäften berufen waren, und auch die Feier des Stiftungstags der Landesschule Meissen, des 3ten Julius, für diesesmal mit der öffentlichen Entlassung der zu der Universität abgehenden Zöglinge am Schlusse des Sommerhalbjahrs zu verbinden. Unser diesjähriger Bericht umfaſst daher einen längern Zeitraum als gewöhnlich, und wiewohl vor Erlassung der Ministerial-Verordnungen, welche die in den Dresdner Conferenzen besprochenen und begründeten Maaſsregeln zu einer gleichmäſsigen Organisation der Gelehrtenschulen in Ausführung bringen werden, uns nicht vergönnt ist, von Einrichtungen zu sprechen, denen wir erwartend, und wir setzen vertrauensvoll hinzu hoffend entgegensehen, so finden wir doch auch in dem nach alter guter Erfahrung Bestehenden und in so manchen im Laufe des Jahres bewirkten Verbesserungen Veranlassung genug zu Dank gegen Gott, der unsere Bemühungen segnete, und zu freudiger Anerkennung des Wohlwollens und der bereitwilligen Unterstützung, welche die Höchste Behörde unsern Wünschen und Anträgen gewährte. Zwar traf uns das Schicksal, das, wie die Geschichte lehrt, gröſsere und kleinere menschliche Vereine immer empfinden werden, daſs wir bei öffentlichen und heimlichen Rügen die Sünden unserer Väter büssen muſsten; aber wir hatten dabei auch die Genugthuung, daſs man bei ge-

nauerer Untersuchung die meisten der Gebrechen, die jetzt aufs neue zur Sprache kamen, schon abgestellt fand, die Freude, dafs mancher ehrenwerthe Mann, der sich vorher argwöhnisch von uns entfernte, nun mit offnem Vertrauen und redlichem Wohlmeinen uns näher trat, und den grofsen Gewinn, dafs wir selbst immer aufmerksamer auf kleinere Fehler und Mifsbräuche, die scheinbar unschädlich bei längerer Duldung zu wesentlichen Gebrechen ausarten konnten, auch bei unsern Zöglingen leichtern Eingang fanden, denen an der Ehre der Anstalt und der Erhaltung ihres guten Rufs alles liegt. So können wir auf den Zeitraum, der seit unserm letzten Bericht verflossen ist, freudig zurückblicken; denn von aufsen ist uns viel Gutes widerfahren, von innen ist nichts Böses aufgekommen, ja wir haben in funfzehn Monaten keine Untersuchung verübter Excesse, keine Bestrafung alter Sünden nöthig gehabt, und es bei den Erziehungsmitteln, die in einer gutartigen und wohlgesitteten Familie gebräuchlich sind, bewenden lassen können. Wir wollen nicht von unsrer vaterländischen Sitte abweichen, nach welcher von dem einheimischen Guten am wenigsten gesprochen wird; auch sagen wir es uns täglich, dafs wir vor dem höchsten Richter unnütze Knechte sind; aber indem wir vor dem Vaterlande öffentlichen Rechenschaftsbericht abstatten, haben wir auch das Vertrauen und die Freimüthigkeit, menschlichen Beurtheilern zu sagen, dafs wir gethan haben, was wir nach gutem Gewissen zu thun wenigstens im Stande waren, und wir finden dadurch auch ohne Dank die Ermuthigung, rastlos fortzuarbeiten, so lange Gott uns diese Thätigkeit anweisen wird.

1. Lehrverfassung der Anstalt.

Der erste Tag des Jahres 1835 wurde uns zu einem besondern Festtag. An demselben trat der an die Stelle des D. *Ludwig Gottlob Krehl*, dessen Berufung an die Universität zu Leipzig wir in unserm letzten Bericht erwähnten, vom Cultusministerium ernannte *Gottlob Christian Schmidt* sein neues Amt als Pastor zu St. Afra an. Er ist geboren d. 30. October 1788. zu Brücken in Thüringen, erhielt seine Vorbildung auf den Klosterschulen zu Donndorf und Rosleben, studirte zu Leipzig von 1806—1810., war seit 1819 Diaconus und seit 1824 Pfarrer zu Kaditz bei Dresden, und war am 3ten Adventsonntage, d. 14ten December 1834., nach einer zu allgemeiner Zustimmung gehaltenen Probepredigt in kirchlicher Feierlichkeit eingeführt worden.

Dieser Mann hat seit Antritt seines Amtes nicht allein durch geistvolle und erwärmende Kanzelvorträge, sondern auch durch Freundlichkeit und herzliche Zusprache an unsere Zöglinge, und durch das Verhältnifs des gegenseitigen Vertrauens, in das er sich zu den Lehrern der Anstalt gesetzt hat, auch um die Landesschule sich wohlthätig verdient gemacht. Desto erfreulicher war es uns, im Verlaufe des Jahres durch eine Ministerial-Verordnung vom 24ten März, welche auf unsere gutachtlichen Berichte, den Religionsunterricht in der Anstalt betreffend, an uns erging, ihn in noch engere geistige Verbindung mit uns gesetzt zu sehen. Schon seit längerer Zeit bestand bei uns die Einrichtung, dafs Sonntags Nachmittags 2 Uhr anstatt des kirchlichen Gottesdienstes eine Andachtstunde in der Schule mit dem ganzen Cötus gehalten wurde. Sie wurde mit Gesang begonnen und beschlossen, und der Religionslehrer der Anstalt benutzte sie bald zu Betrachtungen über wichtige Wahrheiten der Religion, bald zu Entwickelungen sittlicher Gegenstände, die mit dem Leben des studirenden Jünglings in inniger Beziehung stehen, bald zu erweckenden biographischen Darstellungen oder Darlegungen biblischer Charactere, bald auch zu genauern Erörterungen fruchtbarer biblischer Abschnitte. Das Hohe Cultusministerium beabsichtigte, dieser Stunde gemeinsamer Andacht auch selbst durch die Verschiedenartigkeit der Auffassungsweisen des Vortragenden ein immer neues Interesse für den Cötus zu geben, und um sowohl dem Religionslehrer Professor *Schumann*, der den früher dem Pastor zu St. Afra übertragnen Unterricht in der hebräischen Sprache nun für die nächste Zeit allein übernommen hatte, eine Erleichterung zu verschaffen, als auch um den Schülern ihren Beichtvater näher zu stellen und ihn in unmittelbare Berührung mit ihnen zu bringen, wünschte es, dafs der Pastor *Schmidt* die sonntägige Erbauungsstunde abwechselnd mit dem Prof. *Schumann* einen Sonntag um den andern halten möchte. Da diefs durch andere Amtsarbeiten des Pfarrer, die sich durch den unerwartet eintretenden Tod des Diaconus zu St. Afra M. *Thalwitzer* *) noch sehr vermehrten, nicht sogleich ganz ausführbar

---

*) M. *Friedrich Gottlieb Thalwitzer*, Diaconus an der St. Afrakirche zu Meifsen, wurde geboren zu Meifsen d. 29. Oct. 1763., war Zögling der Landesschule bis 1782., studirte dann bis 1785. zu Wittenberg, ward seinem Vater im Diaconat substituirt den 5. Decebr. 1790., folgte ihm nach im Julius 1800., und starb den 8. April 1835. Er war bis zu dem letzten

war, so vernahm es doch mit Wohlgefallen, daſs der Pfarrer M. *Schmidt* sich bereitwillig erklärte, jeden dritten Sonntag die Erbauungsstunde zu halten, und es wurde diese Einrichtung von dem Rector seit Ostern dieses Jahres eingeführt, die Vertheilung der Sonntage unter beide Lehrer bewirkt und dem Hohen Ministerium angezeigt. Uebrigens wurde zu gleicher Zeit angeordnet, daſs die aus früherer Zeit auch in den neusten Lectionsplan übergegangene Benennung dieser Andacht mit dem unpassenden und leicht miſszudeutenden Ausdruck: *moralische Vorlesung* fortan eingestellt und der anspruchlosere und den Zweck genauer bezeigende Name der *sonntägigen Erbauungsstunde* an dessen Stelle gesetzt werden sollte.

Was den wöchentlichen Religionsunterricht in der Schule anbetrifft, so gab das Ministerium der Ansicht, daſs in den unteren Classen die katechetische Entwickelung der Religionslehre mit dem Lesen und Erklären biblischer Abschnitte in methodischer Folge verbunden werden müsse, in den oberen theils das neue Testament in gröſseren Abschnitten aus dem Grundtexte zu erklären, theils die Geschichte der Religion und der christlichen Kirche vorzutragen sey, daſs aber alles Hersagen der Hauptstücke, der Gebote, und anderer religiöser Aufsätze oder Formeln vor einer Schülerversammlung wegen der Gefahr, das Ehrwürdige der Unbeholfenheit oder selbst dem Muthwillen Unbesonnener Preis zu geben, gänzlich zu unterlassen sey, und somit dem bereits in der Landesschule Meissen bestehenden Verfahren seine Zustimmung. Auch genehmigte Dasselbe, daſs, da nun dem Lesen der heiligen Schriften in zweckmäſsigem Zusammenhange und mit eindringlicher Erklärung Zeit und Aufmerksamkeit genug gewidmet ist, um alle Zöglinge mit dem Inhalt und der Wichtigkeit derselben für Geist und Herz gründlich bekannt zu machen, die bis Ostern d. J. gewöhnlichen Bibelerklärungen, die viermal in jeder Woche nur eine Viertelstunde nach dem Morgengebet einnahmen und in fortlaufender Reihe von Buch zu Buch übergingen, als in wissenschaftlicher und ascetischer Beziehung ungenügend abgeschafft wurden.

Augenblicke seines Lebens ein Muster treuer und unermüdeter Amtsthätigkeit, ein Zeugniſs, das ihm bei der Bestattung am 11ten April von dem Redner am Grabe, M. *Schmidt*, nachgerufen, und von uns und allen, die seinem Sarge nachgingen, mit voller Seele bestätigt ward.

Der von dem Rector entworfene und von dem Hohen Ministerium genehmigte Lectionsplan, den wir dieser Schrift beigefügt haben, ist während des verflossenen Sommerhalbjahrs befolgt worden, und wird, wenn nicht in der Zwischenzeit andere Anordnungen an uns ergehen, auch für den Winter beibehalten werden. Diejenigen, welche ihn mit den früheren vergleichen wollen, werden manchen Fortschritt und wesentliche Verbesserungen sowohl in der Wahl der Schriftsteller als in der Vertheilung der Unterrichtsgegenstände und der Zeit nicht verkennen. Ohne das Ganze der bestehenden Einrichtungen umzugestalten, was ohne eine von der höchsten Behörde ausgehende Organisation nicht möglich war, konnte nicht viel geändert werden. Es sind daher die Lehrgegenstände noch in folgender Ordnung aufgeführt:

I. Cl.		II. Cl.		III. Cl.		IV. Cl.	
Cic. de nat. D.	2 St. wöch.	Livius	2 St. wöch.	Cic. (de senect)	2 St. wöch.	Cornel. Nepos	2 St. wöch.
Tacitus (Annal.)	2 - -	Plinius (Epist)	2 - -	Caesar	2 - -	Histor. select.	2 - -
Plautus (Mil. glor.)	1 - -	Terentius	2 - -	Ovid. Metam.	2 - -	Eleg. Rom.	2 - -
Plato	2 - -	Ovid. Fasti	1 - -	Latein. Syntax	2 - -	Latein. Syntax	2 - -
Sophocles	2 - -	Emendation	2 - -	Emendation	2 - -	Latein. Extemp.	1 - -
Aristophanes	1 - -	Plutarchus	2 - -	Lat. Prosodie	1 - -	Emendation	2 - -
Emend. u. Disp.	2 - -	Homer. Ilias	2 - -	Xen. (Cyrop.)	2 - -	Xenoph. (Anab)	2 - -
Geschichte	2 - -	Röm. Antiqu.	2 - -	Homer. Odyssee	2 - -	Griech. Blumenlese.	2 - -
Stereometrie	2 - -	Geschichte	[illegible] - -	Griech. Syntax	2 - -	Griech. Forml.	2 - -
Physik	2 - -	Phys. Geogr.	2 - -	Geschichte	2 - -	Geschichte	2 - -
Phys. Geogr.	2 - -	Geometrie	2 - -	Geographie	2 - -	Geographie	2 - -
Logik	2 - -	Rel. u. N. Test.	3 - -	Geometrie	2 - -	Arithmetik	2 - -
Rel. u. N. Test.	3 - -	Deutsche Sprache	1 - -	Religionslehre	2 - -	Geom. Anschau.	1 - -
Deutsche Sprache	1 - -	Franz. Sprache	2 - -	Deutsche Sprache	1 - -	Religionslehre	2 - -
Franz. Sprache	2 - -	Hebr. Sprachl.	2 - -	Franz. Sprache	2 - -	Deutsche Sprache	1 - -
Hebr. Sprache	2 - -					Franz. Sprache	2 - -
	30		29		28		29

Dafs der vorliegende Lectionsplan noch bedeutende Lücken hat, dafs namentlich den alten Sprachen, der Geschichte und der schriftlichen und mündlichen Uebung der Muttersprache, so wie der Mathematik, noch einige Stunden mehr gehörten, wenn überhaupt die geistige Ausbildung durch Lehrstunden zu erlangen wäre, hat der Unterzeichnete auch in diesen Berichten stets anerkannt, und jede wohlmeinende Erinnerung sachkundiger Männer, wie Jahn's in den philolog. und pädagog. Jahrbüchern, dankbar angenommen. Um dem sprachlichen Element des Unterrichts mehr nachzukommen, hat er

selbst eine griechische, seine Amtsgenossen Becker und Diller jeder eine lateinische über die bis jetzt festgesetzte Stundenzahl freiwillig übernommen; der Prof. Oertel hat noch aufser den angezeigten Stunden die im Lateinischschreiben zurückbleibenden Tertianer eingeübt: die oberen Schüler, deren lateinische Arbeiten nicht genügten, wurden zu freien Ausarbeitungen aufser den Aufgaben veranlafst, und diese gern mit ihnen durchgegangen; der Prof. Wunder bereitete die Schüler der vierten Classe durch die geometrische Anschauungslehre auf den Unterricht in der Geometrie vor, und vermehrte dadurch ebenfalls seine Stundenzahl; aufserdem gab es der Privatstunden in den Sprachen und in der Mathematik fast mehr, als für die Kräfte und die eigne Anstrengung manches Schülers zuträglich war; und die Aufgaben aller Art zu schriftlichen Arbeiten, deren fleifsige und pünktliche Behandlung jeder Lehrer streng forderte, liefsen unsere Zöglinge nicht zu gemächlicher Ruhe und Zeitversäumnifs kommen. Aber wir wiederholen es, dafs mit dem Einlehren und Vorsprechen am wenigsten gewonnen wird, und dafs nur *der* Lehrer seine Pflicht erfüllt, der seine Schüler für die Gegenstände des Lernens zu begeistern und sie in das Selbstarbeiten und Selbstlernen durch zweckmäfsige Methode einzuführen weifs. Auch haben wir uns des Privatfleifses unsrer Zöglinge im Ganzen und besonders an den Studirtagen wahrhaft freuen können, und den alten Geist der Fürstenschulen, der die Faulen und Nachlässigen durch allgemeine Nichtachtung straft, in seiner wohlthätigen Kraft und Wirkung gesehen, und darum auch mit den Schwachen und Langsamen, die noch nicht erreichten, was sie redlich wollten, gern freundliche Nachsicht gehabt. Aus dem, was über die Ergebnisse der Dresdner Besprechungen bereits öffentlich bekannt gemacht worden ist, hat man übrigens ersehen, dafs eine mäfsige Vermehrung der öffentlichen Lehrstunden beabsichtigt wird, die bei gehöriger Beschränkung der Privatstunden und der Aufgaben dem eignen Fleifs und der ausdauernden Anstrengung nicht zu viel Zeit entziehen, nicht zu grofsen Kraftaufwand zumuthen wird, dafs die Hälfte aller Lehrstunden den alten Sprachen zugetheilt werden soll, aber auch die Muttersprache und die mathematischen Wissenschaften eine gröfsere Berücksichtigung zu erwarten haben. Wir haben die feste Ueberzeugung, dafs das Abschiedswort des Herrn Staatsministers, der dem öffentlichen Unterricht vorsteht, dafs der alte verderbliche Streit zwischen Humanismus und Realismus in Sachsen bald zu Ende gebracht seyn werde, als allgemein anerkannte Wahrheit bestehen wird.

Aufser den Sprachen und Wissenschaften im engern Sinne ist gewifs das vorzüglichste menschliche Bildungsmittel die *Tonkunst,* wenn sie nicht allein zu müfsigem Zeitvertreib oder zu niedrigem Erwerb geübt, sondern auf ein verständiges Lernen begründet und zum Ausdruck edler und frommer Gefühle angewendet wird. Schon früher hatten wir diesem Gegenstand besondere Aufmerksamkeit gewidmet, und zunächst Verbesserung des religiösen Gesangs in der Schule und bei dem öffentlichen Gottesdienst durch fleifsigere Einübung der Choräle zu bewirken gesucht. Es fehlte uns jedoch an einem Lehrer, der mit gründlichen Kenntnissen Uebung im Unterricht und jene sittliche Haltung verbände, die dem Manne Achtung und pünktlichen Gehorsam, der Unterweisung allgemeine Anerkennung und Eingang sichern könnte. Diesen erhielten wir durch die Anstellung des Lehrers an der evangelischen Freischule zu Dresden *Robert Pietsch* (geb. zu Dresden, d. 12. Aug. 1811. als Sing- und Musiklehrer an der Landesschule. Früher Präfect an der Annenschule zu Dresden, dann Zögling des von dem Director Otto kräftig geleiteten Schullehrerseminars daselbst, und in der Musik ein vor anderen belobter Schüler des berühmten Hoforganist Schneider, berechtigte er zu den besten Erwartungen, und er hat seit Antritt seines Amts am 12ten August 1834 sich die Achtung und das Vertrauen der Zöglinge und die Anerkennung des Schulcollegium zu erwerben und zu erhalten gewusst. Er ist verpflichtet, die Alumnen wöchentlich vier Stunden im Gesang zu unterrichten, und den Gesang, auch in etwa vorkommenden Fällen die Musik, bei Feierlichkeiten in der Schule, so wie bei dem Vormittagsgottesdienste in der Afrakirche zu leiten, auch den Alumnen und Extraneern der Schule Privatunterricht in der Musik gegen ein billiges jedoch nicht den Betrag von vier Groschen für die Stunde übersteigendes Honorar zu ertheilen (Minist. Verordn. vom 2. Juli 1834.) Die Fortschritte, welche der Kirchengesang seit einem Jahre gemacht hat, sind augenscheinlich und für die, welche ihn in unsrer Schule und in der Afrakirche hören, befriedigend. Um so dankbarer mufsten wir dem Hohen Ministerium dafür seyn, dafs es auf unsern Antrag auch die äufseren Hülfsmittel für den Musikunterricht gewährte. Das Positiv, mit welchem der Choralgesang geleitet wird, wurde wieder in guten Stand gesetzt, der Ankauf eines vorher von Dresden ermietheten Pianoforte für 80 Thlr., die Anschaffung ausgeschriebener Choräle und anderer guter Gesangstücke, so wie der Aufwand für Heizung und Beleuchtung während des Musikunterrichts in dem

Schulgebäude genehmigt, auch der Musikfiscus, aus dem die laufenden Ausgaben für diesen Gegenstand bestritten werden, durch Zuweisung eines sichern Einkommens aus seinem zerrütteten Zustande gerissen und für die Zukunft sicher gestellt. (Minist. Verordn. vom 29. October 1834.)

Der Unterricht *in der Kalligraphie,* an welchem die Zöglinge Theil nehmen, mit deren Handschrift die Classenlehrer unzufrieden sind, nnd *in dem Zeichnen,* der jedoch noch nicht ein öffentlicher ist, und so vorzüglich er hier gewährt wird, bis jetzt wenige Theilnehmer gefunden hat, blieb in seiner bisherigen Einrichtung. Ueber den Unterricht *im Tanzen* und *in der Gymnastik* werden wir unten sprechen, wenn von dem äufsern Wohlseyn der Zöglinge die Rede ist.

Auch für den Lehrapparat und dessen zweckmäfsige Aufstellung wurde aufs neue gesorgt. Die mathematischen und physikalischen Instrumente, die bis jetzt theils auf dem Boden des Schulgebäudes, theils in der Wohnung des Lehrers der Mathematik untergebracht gewesen waren, erhielten nun, da die Bibliothek ihre schöne und würdige Aufstellung in dem neuerbauten Saale gefunden hatte, ein eignes Zimmer, in welchem sie vor Schaden gesichert und für den Unterricht mehr bei der Hand sind.

Auf die Ergänzung und Vermehrung der Schulbibliothek konnte von dem Unterzeichneten mehr als zuvor verwendet werden, nachdem am Schlufs des vorigen Jahres die von der Königlichen öffentlichen Bibliothek zu Dresden noch zu gewährende zweite Hälfte der Kaufsumme für die Description de l'Egypte mit 200 Thlr. auf Verordnung des Herrn Staatsministers von Lindenau ausgezahlt worden war. Es wurden nicht nur die noch fehlenden Bände gröfserer Werke nachgeschafft, sondern auch durch einen guten Kauf in Berlin

Plato ed. Henr. Steph. 3 Voll. Fol., Burmann. Anthol. Latina, Cicero in den Originalausgaben von Graevius, Davisius, Proust zusammen 22 Bände, und die grofse Ausgabe von Raumer's Gesch. der Hohenstaufen 6 Bände 4.,

aufserdem aus dem Buchhandel

das Corpus scriptorum historiae Byzant. von Niebuhr etc., die in Gotha erscheinende Bibliotheca Graeca, die Geschichte der europäischen Staaten herausg. von Heeren und Ukert, Schulze's neuere Geschichte in 4 Bänden, Plato's Werke von Schleiermacher, Lobeck's Aglaophamus, Otfried Müllers Handbuch der Archäologie der Kunst Ausg. von 1835., Ellendt's

Lexicon Sophocleum, das Corpus poet. Latin. von Weber, Wachler's Literaturgeschichte neueste Ausg. in 4 Bänden, Körtes Leben, F. A. Wolf's, Lange's vermischte Schriften und Reden herausgeg. von Jacob, Passow's Opuscula academica, und das Conversations-Lexikon der neuesten Zeit und Literatur 1834., so wie die fortgehenden Numern von Gersdorf's Repertorium, und von den Jahrbüchern für Philologie und Pädagogik von Seebode, Jahn und Klotz, für die Bibliothek erworben. An Geschenken erhielt dieselbe: von dem Prof. Kreyssig seine Commentatio de C. Sallustii Crispi Historiarum l. III. fragmentis etc. Misen. 1835., von dem Prof. Oertel seine Ausgabe der Opuscula Latina des vormaligen Rector Koenig, Misen. 1834., von dem Prof. Flügel seine Ausgabe des Koran, Leipz. Tauchn. 1834., von dem Unterzeichneten seine gröfsere Ausgabe von Ovid's Metamorphosen Lips. Teubner, 1836., von dem Herrn Buchdrucker Klinkicht zu Meifsen ein Prachtexemplar *des Doms zu Meifsen von Fr. Ad. Ebert*; und der würdige Veteran, dessen wir schon in unserm letzten Bericht dankbar gedachten, der emeritirte Accisinspector und Bürgermeister Chladenius zu Gr. Hayn, feierte das 63ste Jahr seit seiner Aufnahme in die Landesschule St. Afra durch Uebersendung seiner Schrift: *Ueber die Nothwendigkeit, durch frühzeitigen Schulunterricht Verbrechen und Strafen mehr, als bisher geschehen, vorzubeugen*. Leipz. 1835.

So wie bei den Ankäufen für die Bibliothek, die wir oben nannten, vorzüglich auf die Fächer der Philologie, der Geschichte, der Alterthumswissenschaft im engern Sinne und der Literaturgeschichte Rücksicht genommen worden ist, so wird der Unterzeichnete nun auch auf die Ergänzung und Ausstattung der neuern theologischen und mathematischen Literatur bedacht seyn, um keinen Theil des Unterrichts und seiner Hülfsmittel vernachlässigt zu lassen, und dabei den Wünschen und dem Rath seiner Amtsgenossen zu folgen immer bereitwillig seyn.

